DE CLEMENTIS ROMANI

EPISTOLA AD CORINTHIOS

PRIORE

DISQUISITIO.

PARS PRIOR.

DE CLEMENTIS ROMANI
EPISTOLA AD CORINTHIOS PRIORE
DISQUISITIO.

PARS PRIOR.

SUMME VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS
AUCTORITATE
PRO VENIA THEOLOGIAM PUBLICE
DOCENDI
ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS VENIA
IN AUDITORIO JURIDICO
DIE III M. MARTII A. MDCCCLV
INDE AB HORA X

PUBLICE DEFENDET

RICHARDUS ADELBERTUS LIPSIUS
THEOL. LIC. PHIL. D. AA. LL. MAG.

LIPSIAE:
TYPIS F. A. BROCKHAUSII.

Ecclesiae Romanae ad Corinthios epistola per Clementem scripta uno tantum codice manuscripto servata est. Codici enim Novi Testamenti Alexandrino, quem Cyrillus patriarcha Constantinopolitanus a. D. 1628. Carolo I. Angliae regi dono miserat, ad calcem membranae quaedam lacerae affixae sunt, quae primam et secundam quae vocatur Clementis epistolam et Psalmos exhibent, eo quidem ordine ut Apocalypsim S. Joannis prima, hanc secunda Clementis quae vocatur epistola sequatur, ultimum autem locum obtineat liber Psalmorum. Quae quidem membranae quum partim tineis obesae vel temporum iniquitate mutilatae essent, primus Clementis epistolarum editor, *Patricius Junius*, eo tempore bibliothecae regiae quae est Londini curator, prioris epistolae textum reparandum curavit, ita quidem ut quae conjiciendo assecutus esset textui insereret minio rubro notata. Post illum *Maderus* lacunas minoribus literis significavit, *Cotelerius* vero, quem posteriores editores secuti sunt, uncis inclusit. Textum denique plurimis in locis a *Junio* parum recte descriptum emendatiorem edidit *Wottonus*.

Praeter unum quem memoravimus codicem non nisi qui a Patribus exhibiti essent epistolae loci editoribus in textu reparando praesto fuerunt. Imprimis epistola usus est *Clemens Alexandrinus* in Stromatibus [1]). Qui quas tradidit varias lectiones editores diligenter notaverunt notatasque ad textum constituendum adhibuerunt.

---

[1]) Strom. I, c. 7, p. 338. 339, cfr. Clem. Rom. c. 48; IV, 17, 609. 610. Hic excerpuntur capp. 1. 9. 10. 11. 12. 17. 18. 21. 22. 36. 38. 40. 41. 48. 49. 50. 51. 53; V, 12, 693 (c. 20); VI, 8, 773 (cfr. c. 48). Clementis Alex. locos secundum editionem *Potteri* citavimus.

Ceterum omnis criticorum opera in eo versata est, ut locis vetustate exesis conjiciendo medicinam afferrent. In quo quum singularis exsplenduisset *Patricii Junii* mentis sagacitas, qui post illum exstiterunt editores non nisi paucissimis locis ab illius conjecturis discedendum censuerunt. Nuperrime *Jacobson* codicem denuo inspexit, conjecturas vero *Patricii* rarissime emendavit. Nos quippe quibus non hoc propositum esset, ut novam epistolae editionem curaremus, praesertim quum ipsum codicem inspicere nobis non licuisset [1]), omnem criticam artem missam fecimus et a textu reparando prorsus fere abstinuimus.

Numerum autem eorum, qui epistolam typis consignandam curaverunt, recensuit *Jacobson*, Prolegg., p. LVI, LXIV. Quibus nuper accesserunt editiones hae:

S. Clementis Romani, S. Ignatii, S. Polycarpi, Patrum Apostolicorum quae supersunt. Accedunt S. Ignatii et S. Polycarpi Martyria. Ad fidem codicum recensuit, adnotationibus variorum et suis illustravit, indicibus instruxit *Guilielmus Jacobson* A. M., Aulae B. Mariae Magdalenae vice-principalis, collegii Oxoniensis nuper socius. Tom. I (Oxonii e typographeo Academico, 1838; editio altera subinde emendata, 1840).

Patrum Apostolicorum opera. Textum ex editionibus praestantissimis repetitum recognovit, annotationibus illustravit, versionem latinam emendatiorem, prolegomena et indices addidit *Carolus Josephus Hefele*, SS. Theol. D. eiusdemque in acad. Tubing. Prof. P. O. Tubingae in bibliopolio Henrici Laupp (1839; ed. II, 1842; ed. III, 1847).

Patrum Apostolicorum (Clementis, Barnabae, Ignatii, Polycarpi) epistolae. ed. *F. X. Reithmayr*, Theol. Dr. et Prof. (1844).

Des heil. Clemens von Rom und des Polycarpus Briefe; neu übersetzt und erklärt von *J. Wocher* (1830).

Ceterum multa multorum de epistola Clementis exstant judicia. Vetustioribus id potissimum curae erat, ut epistolam eandem esse docerent, qua jam Clemens Alexandrinus usus esset; fuerunt etiam,

---

[1]) Nam *Woydius* in editione quam curavit codicis Alexandrini libros ad calcem codicis exaratos omisit.

qui de vita Clementis, ac de tempore quo scripserit epistolam quaestionem ponerent. Quorum sententias qui cognoscere vult is conferat editionem *Cotelerii,* I, 132—144. Ibi sub titulo «judicia recentiorum de S. Clementis epistola» reperiuntur *Patricii Junii* praefatio; eiusdem προσημειώσεις; judicium ex epistola Gallica *Hieron. Bignonii* ad Hugonem Grotium; *Hugonis Grotii* epistola ad Gallos CLIV., ad Hieron. Bignonium; pauca verba ejusdem *Bignonii,* ex alia epistola excerpta; disputatio *Ger. Jo. Vossii* de avibus fabulosis; *David. Blondelli* de tempore epistolae disquisitio, ex Apologia pro sententia Hieronymi de Presbyt. et Episc. petita; *Hermanni Conringii* ad Joach. Joann. Maderum epistola: *Joach. Joann. Maderi* ad lectorem praefatio: *Godofredi Vendelini* de Clementis et ejus epistolarum tempore divinatio; *I. B. Cotelerii* iudicium de priore epistola S. Clementis. Ex iis quae in secundo editionis Cotelerianae volumine leguntur cfr. *Is. Vossii* epistola II de Ignatio, p. 455. *Beveregii* disputatio de cod. canon. eccl. primit. p. 114—116.

Praeterea conferri possunt *Dodwelli* dissertatio posterior, adjecta operibus posthumis *Pearsoni,* p. 219 sq. *Grabe,* spicileg. Patr. I, 254—264. *Tillemont* mémoires, II, 149; porro quae in posterioribus editionibus reperiuntur prolegomena et adnotationes, imprimis *Clerici, Colomesii, Ittigii, Wottoni, Coustantii, Gallandii.* De tempore quo scripta sit epistola disputaverunt etiam praeter Grabium, Grotium, Vendelinum, Cotelerium, Tillemontium *Claud. Fleury,* Hist. eccl., I, 213. *Pagi,* Crit. hist. Chron. in Ann. Baronii A. D. 78, §. 3. *Mill,* Prolegomena, §. 138. *Dodwell,* Dissert. sing. de Rom. Pontif., XI, 4. *Venema,* Hist. Eccl. Saec., I, §. 251. *Lardner,* Credibility, II, cap. 2 extr. — De epistolae authentia et integritate disputaverunt:

Abrah. Calovius, Clementis epistola νοθείας convincitur (Vitenb. 1673). *Jo. Toland,* Catalogus librorum Christo et apostolis adscriptorum, c. 18, Tom. I, Opp. 372. *Christ. Aug. Salig,* De diptychis Veterum, c. 3, §. 4, p. 39. *Gisbertus Voëtius,* Selecta disput., P. I, p. 103. *Freudenberger,* Historia recentioris controversiae de S. Clementis epistolis (Lipsiae 1755). *Mosheim,* Institt. historiae Christianae majores, p. 213 sqq. *Semler,* Histor. Einleitung zu Baumgarten's Untersuchungen theol. Streitigkeiten, II, 16. *Ammon,* Leben Jesu, I, 33.

Praeterea contulisse juvabit *Oudin,* Comment. de Script. Eccles.

I, 19. *Hanhard,* apud Schulthessium, Theol. Nachrichten, II, 286, denique ex iis qui recenter de doctrina epistolae disputaverunt

Lumper, Historia theol. critica, I, 56—92.

Moehler, Patrologie, I, 61 sqq.

Inter recentiores autem inde ab illo tempore, quo *Rothe* in episcopatus origine exponenda propius ad catholicae ecclesiae traditionem accessit, *Baur* vero novas in medium protulit de priscae ecclesiae statu sententias, de epistolae auctore deque doctrina ab illo proposita vehementer disputatum est. De doctrina vero Clementis duae maxime res censurae subjectae sunt: primum quidem quid Clemens de episcopatu, deinde quid de Paulina qua legis auctoritas abrogata esse, homines autem una fide justificari dicuntur doctrina statuerit. Quum autem omnes fere, qui in his rebus tractandis versarentur, aut non nisi in transcursu accessissent ad epistolam pervestigandam, aut vero etiam parum subtiliter de summis quae exploranda erant epistolae capitibus disputavissent, fieri non potuit, quin illi multa reliqua facerent de quibus quaestio poneretur.

Nos igitur si de his omnibus rebus denuo examen instituerimus, propterea operae pretium facturi esse nobis visi sumus, quia ex Clementis utpote vetustissimi post Barnabam Patris epistola, siquidem genuina est, non potest non plurimum utilitatis redundare in primaevae ecclesiae statum cognoscendum.

Disputaverunt autem inde a tempore quod significavimus de epistola nostra potissimum hi:

Thönissen, Zwei theol. Abhandlungen (1841), I. Ueber die Authenticität und Integrität des ersten Briefes des Clemens von Rom an die Korinther.

Kayser, Clément de Rome, Revue de théologie (Argentorati edita), II, 85 sqq.

Francke, Die Lehre des Clemens. Zeitschrift für luther. Theologie und Kirche von Rudelbach und Guericke (1841), III.

Gundert, Der erste Brief des Clemens von Rom an die Korinther. Zeitschrift für luther. Theologie und Kirche, 1853, IV, 638—658; 1854, I, 29—63; III, 450—485.

Ecker, Disquisitio critica et historica de Clementis Romani priore ad Corinthios epistola. Trajecti ad Rhenum (1854).

Rothe, Die Anfänge der christlichen Kirche und ihrer Verfassung (Wittenb. 1837), p. 374 sqq.

Baur, Die sogenannten Pastoralbriefe des Apostels Paulus (1835), p. 110 sqq. Ursprung des Episkopats (1838), p. 53, 61, 66, 75. Paulus, der Apostel Jesu Christi, p. 471. Theol. Jahrb. (1844), p. 549 sqq. Streitschrift gegen Bunsen (1848), p. 127 sqq. Das Christentum der drei ersten Jahrhunderte (1853), p. 120, 240 sqq., 257, 304.

Hefele, Prolegomena, p. XIX — XXXVII (ed. III).

Neander, Kirchengeschichte, I, 1136 (ed. II); I, 529 (ed. IV).

Gieseler, Kirchengeschichte, I, 1, 147 (ed. IV).

Dorner, Entwickelungsgeschichte der Lehre von der Person Christi (ed. II, 1845), I, 135 — 142.

Dähne, Die Christuspartei in der apostol. Kirche zu Korinth (1841), p. 107.

Schenkel, De ecclesia Corinthia primaeva factionibus turbata (Basil. 1838), p. 77 sqq. Die zweite Gefangenschaft des Paulus. Theol. Studien und Kritiken (1841), p. 53 sqq.

Zeller, Zur neutestamentlichen Christologie. Theol. Jahrb. (1842), p. 62 sqq. Cfr. Theol. Jahrb. (1847), p. 172.

Schliemann, Die Clementinen nebst den verwandten Schriften und der Ebionitismus (1844), p. 409 sqq.

Schwegler, Nachapostol. Zeitalter (1846), II, 125 — 133.

Planck, Judentum u. Urchristentum. Theol. Jahrb. (1847), p. 487.

Ritschl, Entstehung der altkatholischen Kirche (1850), p. 282 sqq. 410 sqq.

Köstlin, Zur Geschichte des Urchristentums. Theol. Jahrb. (1850), p. 28 sqq., 247 — 54.

Bunsen, Ignatius von Antiochien und seine Zeit (1847), p. 95—104, 124 sqq., 189 — 195.

Uhlhorn, Zeitschrift für historische Theologie (1851), p. 322.

Hellwag, Die Vorstellung von der Präexistenz Christi in der ältesten Kirche. Theol. Jahrb. (1848), p. 254 sqq.

Hitzig, Johannes Marcus und seine Schriften (1852), p. 165.

Volckmar, Evangelium Marcion's (1852), p. 176.

Lutterbeck, Die neutest. Lehrbegriffe (1852), II, 54 sqq.

Thiersch, Die Kirche im apostolischen Zeitalter (Frankfurt u. Erlangen 1850), p. 247 sqq.

Lechler, Apostolisches und nachapostolisches Zeitalter (Haarlem 1851), p. 308 — 312.

Reuss, Histoire de la théologie chrétienne au siècle apostolique (Strassb. 1852), II, 607 — 616. — Geschichte der heiligen Schriften N. T's., (ed. II, 1853), p. 224 sqq.

Hilgenfeld, Apostolische Väter (1853), p. 54—110. Cfr. libri quam ego scripsi censuram in *Gersdorfii* repertorio (1854), III, 2, p. 68—70.

Lange, Das apostolische Zeitalter (1854), II, 1, p. 476—481.

Jam quem in ordinem ea quae nobis disputanda erant disposuerimus, paucis ostendere placet.

Primum argumentum epistolae enarrabimus et sententiarum nexum paullo accuratius eruendum curabimus.

Deinde summam doctrinae explanabimus. Quod instituere placet sic, ut ordine deinceps de munere ecclesiastico, de lege Mosaica deque γνώσει Clementina, de justificatione et fide, de bonis operibus, denique de Christi merito ac persona disseramus.

Porro de temporum rationibus quibus epistola scripta sit disceptabimus. In quo quaestionem ponemus de Christianae ecclesiae statu, qui illo tempore quo epistola in lucem prodiit, tum inter Corinthies tum inter Romanos obtinuit; quibus expositis epistolae aetatem accuratius definire instituemus.

Postremo de Clemente epistolae auctore verba fient. Disquirendum erit, quo tempore ille vixerit, num apostolorum discipulus fuerit, quamnam Christianorum partem secutus sit. Ibi primum quidem quid de vita et persona auctoris ex ipsa epistola cognoscatur docebimus, deinde vero ecclesiae quas de Clemente accepimus traditiones censurae subjiciemus; quibus rebus inter se comparatis, num Clemens revera fuerit auctor epistolae pervestigabimus.

CAPUT I.

Enarratur epistolae argumentum[1].

Corinthi quum inter Christianos gravissima de munere ecclesiastico dissidia exorta essent, Romanorum ecclesia literis missis rogata est, ut ad Corinthiorum seditionem componendam auctoritate

---

[1]) Cfr. *Gundert,* Zeitschrift f. luther. Theologie (1853), p. 656 sqq., et imprimis *Hilgenfeld,* Apostol. Väter, p. 54—74.

qua jam illo tempore floruisse videtur uteretur [1]). Romani quum et ipsi rebus adversis afflicti essent, tardius animum ad eas res advertere potuerunt, quae a Corinthiis quaesitae erant.

Jam quae inter Corinthios exorta est seditio quantum Christianorum nomini inferat detrimenti, uberius in Romanorum epistola exponitur. Est enim seditio ista tanto detestabilior, quo vehementius adversatur pristinae laudi de Corinthiorum fide ac virtute per omnes ecclesias pervulgatae. Tantum enim abfuit, ut Corinthiaca ecclesia intestinis discordiis olim foedata esset, ut vitae integritatis et sanctitatis, mutuae fratrum liberalitatis et caritatis, continuae pro omnium salute sollicitudinis, denique strenuae inferiorum erga praepositos obedientiae splendidissimum ante oculos poneret exemplum (c. 1. 2).

Sed ut fieri solet, haec ipsa quae de Corinthiorum virtute percrebruit fama quorundam animos nimia implevit superbia. Hinc discordiae, contentiones, pravae cupiditates: ignobiles nobilibus, insipientes sapientibus, iuvenes senioribus insolentissima arrogantia bellum inferre, impia et injusta invidia multorum animos invadere, ecclesiae pax misere turbari (c. 3).

Quae quidem invidia quantum mali communi saluti adspergat, Caini, Josephi, Moysis aliorum exemplis demonstratur (c. 4). Sed hoc ipsum non solum priscae, sed etiam recentioris aetatis documentis comprobari licet. Nam qui stabilissimae olim exstiterunt Christianae ecclesiae columnae, Petrus et Paulus apostoli, ob hanc ipsam impiorum hominum invidiam innumeris per multos annos cruciatibus affecti sunt, et ipsam denique mortem oppetierunt (c. 5). Quibus accedit ingens martyrum multitudo, qui propter eandem istam nefandam invidiam multas contumelias, multa gravissimaque supplicia sustinuerunt. Eaedem denique contentiones uxores maritis infestas reddunt, magnas urbes evertunt, magnas denique gentes excidunt (c. 6).

Quae quum ita sint, tempus est, ut inanibus contentionibus relictis poenitentiam agamus et ad Deum nos convertamus. Quod

---

[1]) Cfr. c. 1: [διὰ τὰς] αἰφνιδίους καὶ ἐπαλλήλους [γενομ]ένας ἡμῖν συμφορὰς καὶ [περι]πτώσεις, ἀδελφοὶ, βράδιον [νομ]ίζομεν ἐπιστροφὴν πεποιηκέναι περὶ τῶν ἐκζητουμένων [παρ᾽] ὑμῖν πραγμάτων. Secus statuit nuper *Hilgenfeld*, Apostol. Väter, p. 54, not. 2, contra quem disputavimus in *Gersdorfii* repertorio (1854), III, 2, p. 68.

ut faciamus, tum Christi sanguis pro omnium peccatorum salute effusus nos commovere debet, tum vero etiam innumerae quae in scripturis proponuntur ad poenitendum admonitiones. Afferuntur Noae et Ionae exempla, nec non prophetarum qui ad poenitentiam pertinuerint sermones (c. 7. 8).

Alia quae a falsa aemulatione animos abripiat causa petitur ab exemplis eorum qui pro singulari qua erant virtute et erga alios humanitate aeternis praemiis a Deo ornati sunt. Sic Enoch propter obedientiam justus repertus, vivus in coelum ascendit; sic Noë propter fidem dignus habitus est, qui novam mundo generationem vaticinaretur [1]) (c. 9). Sic Abrahamus tum propter fidem quam divinis habuit promissis, tum propter animi erga hospites quam praebuit liberalitatem amicus (sc. Deo) vocatus est (c. 10). Ob eandem rem Lotus et Rahaba a morte quae ipsis imminebat servati sunt (c. 11. 12).

Jam rursus admonentur Corinthii, ut omni arrogantia deposita se submissos gererent. Quae admonitio locis quibusdam scripturae et ipsius Domini nostri Jesu Christi verbis confirmatur (c. 13).

Quo accedit etiam, ut melius esse doceatur Deo obedientem esse, quam iis aures praebere, qui invidiae et seditionis duces exstiterint. Nimirum qui Dei voluntati morem gerunt in aeternum vivent, qui vero divinis legibus obstrepunt subito peribunt (c. 14). In quo cavendum est, ne pacis amorem simulemus tantum; scriptura enim interitum eorum praedixit, qui falsa et fictitia pietate se Deum fallere posse opinentur (c. 15).

Deinde ipsius Christi exemplo humilis et submissus animus commendatur. Nam Dominus noster quamvis summo divinae majestatis splendore circumfusus, tamen ab omni prava arrogantia ita abhorruit, ut humillimi afflictissimique hominis specie indutus pro nostris peccatis gravissima quaeque passus sit (c. 16). Porro exempla prophetarum afferuntur, qui quamquam divino spiritu inflati sunt ac digni habiti qui Messiae adventum praedicerent, tamen ipsi pellibus caprinis utpote animi submissi signis induti fuerunt. Neque solum prophetae, sed etiam alii viri clarissimi eandem modestiae laudem promeruerunt. Sic Abrahamus, Iobus, Moyses summa erga Deum pietate et reverentia excellentes semet ipsos ne flocci

[1]) Cfr. de hac re *Hilgenfeld,* l. c. p. 57.

quidem aestimaverunt, sed unum Deum omnibus honoribus prosecuti sunt (c. 17). Neque aliter egit Davides, qui quamvis Deo gratissimus, tamen se miserum peccatorem esse ingenue profitebatur (c. 18).

Itaque tot ac tantis submissi animi exemplis nobis propositis nostrum est, moribus emendandis intentissimo studio operam dare. Quid quod ipse Deus pro ineffabili qua erga homines est lenitate et beneficientia tanquam viam nobis monstrare videtur, quam ingressi sanctissimae ejus voluntati optime obtemperare possimus (c. 19). Coeli gubernatione Dei reguntur; dies et nox cursum ab illo ordinatum quiete perficiunt; sol, luna, sidera in orbes circumaguntur a Deo ipsis praescriptos; terra secundum ejus mandatum herbas et fructus procreat; abyssus, oceanus et terrae trans oceanum sitae [1]), tempestatum vicissitudines, venti, fontes divinis legibus in aeternum reguntur. Ne minima quidem animalia ordinem ipsis impositum turbare, aut quidquam agere conantur, quod naturae suae contrarium sit. Nusquam tumultus aut ordinis perturbationes, ubique certae quaedam regulae, pax et concordia conspicuae sunt. Quid igitur? Nonne etiam nos, qui longe maximis praeclarissimisque divinae clementiae beneficiis per Christum tanquam perfusi sumus, ad easdem leges vitam nostram dirigere, et ab omni tumultu seditioneve cautissime abstinere debemus? (c. 20).

Verum enim vero quum tantis beneficiis a Deo simus ornati, cavendum est, ne quid detrimenti capiamus divino numini obstrepentes. Dei potius, quam pravorum hominum gratiam nobis conciliemus; Dominum Christum cujus sanguis pro nobis datus est veneremur; iis qui nobis praepositi sunt obsequamur; juniores ad pietatem, uxores ad castitatem ac temperantiam cohortemur (c. 21). Haec omnia enim scriptura cui fidem habemus nos edocere potest (c. 22).

His omnibus vero qui pio simplicique animo Deum venerantur splendidissima praemia promissa sunt. Deus autem verax est et promissis stabit. Ne quis igitur in dubium vocaverit, quae sensibus nondum subjecta sunt: Deo fidem habeamus firmam et inconcussam. Quemadmodum enim vites primum quidem deflorescit,

[1]) Cfr. *Hilgenfeld*, l. c. p. 60 sqq., not. 12. Ad locum quem Hilgenfeld ex 4to libro Esdrae (VII, 26) protulit, ea addo quae Josephus B. J. II, 8, 8. 11, de Essenorum opinionibus tradit.

deinde vero gemmas agit, folia emittit, flores et uvas procreat, sic Deus quoque quod olim pollicitus est subito ac de improviso perficiet (c. 23). Ac multa sunt pignora, quibus vita futura confirmatur. Christus a mortuis suscitatus est, tamquam primitiae resurrectionis. Diei et noctis vicissitudines futuram resurrectionem continenter nobis ostendunt. Semen in humum demersum primum dissolvitur; ex ipsa vero dissolutione Deus resuscitat semina et ex uno multum fructum procreat accumulatque (c. 24). Ex Phoenicis avis carne putrefacta nascitur vermis, qui mox plumescit et in defuncti alitis formam mutatur [1]) (c. 25). Idem denique illud resurrectionis miraculum etiam in libris sacris praedictum est, id quod locis quibusdam Psalmorum et Iobi comprobatur (c. 26). Quae quidem spes quominus fallatur ipsius Dei veracitas impedit. Nimirum qui hominibus ne mentiantur interdixit multo magis ipse non mentietur. Deus enim nihil non efficere potest, una tamen fraude excepta. Quocirca persuasum habemus Deum promissis stare et velle et posse (c. 27).

Jam vero sermo redit ad illud unde paullulum declinavit. Nimirum si Dei potentiae omnia subjecta sunt nihilque eum latet, nova reperitur causa qua ad recte faciendum impellamur. Quo enim modo quis effugere potest eum, qui potentissimis tanquam manibus totam rerum naturam complectitur? (c. 28). Accedamus potius ad benignissimum patrem, qui ex omnibus populis nos elegit (c. 29). Haec ipsa vero divina electio ita facta est, ut omne hominum meritum prorsus excludatur. Procul igitur esto temeritas quae se ipsam extollit; procul omnis generis obtrectrationes et insolentiae, procul impuritas, impudicitia, prava cupiditas. Imo ante omnia id agere debemus, ut sanctitatis, moderationis, concordiae, mansuetudinis exemplum exhibeamus (c. 30).

Abrahamus propter justitiam et fidem, Isaacus propter firmam rerum futurarum persuasionem, Jacobus propter submissum et mansuetum animum egregiis beneficiis exornati sunt (c. 31). Ex Jacobi autem semine reges, prophetae, sacerdotes orti sunt, quos omnes non propter meritum suum, sed per Dei voluntatem divinis bene-

---

[1]) Cfr. Ger. Io. Vossii disputatio de avibus fabulosis apud Cotelerium, I. *Hilgenfeld*, l. c. p. 64, not. 18. *Piper*, Mythologie der christlichen Kunst (Weimar 1847), I, 446 sqq. *Gundert*, Zeitschrift für luther. Theologie (1854), p. 451 sqq.

ficiis ornatos esse videmus. Neque enim ex operibus, sed ex una fide justi declarantur homines (c. 32). Quod tamen non ita accipiendum est, ut bonis operibus omnino non opus esse existimetur. Deus enim ipse de operibus suis laetatur, quandoquidem omnia quae creavit bona sunt, ut scriptura testatur. Homines vero ad similitudinem Dei creati omnibus nervis id intendere debent, ut Dei exemplar imitantes opus justitiae operentur (c. 33). Quemadmodum autem operarii, ita quisque nostrum secundum opera mercedem accipiet. Quod rursus nos cohortari debet, ut divinae voluntati nos subjiciamus. Itaque sicuti angelorum multitudines una voce Dei gloriam praedicant, sic nos quoque in unum omnes congregati communi consensu preces ad Deum tanquam ex uno ore clamantes mittamus (c. 34). Magnificis Dei beneficiis jam nunc ornati sumus; multo magnificentiora manent eos, qui fidem servaverint et fecerint quod Deo gratum est, omni injustitia, insolentia, vanitate, contentione repudiata. Haec omnia enim aversatur Deus (c. 35). Sic via munita est quam ingredi debemus, si quis ad Christum salutis nostrae auctorem pervenire velit. Christus vero divino splendore circumfusus a dextris Dei consedit: huic inimici sunt, qui divinae voluntati obstrepere audent (c. 36).

Novis jam argumentis Clemens evincere studet necesse esse, ut quisque locum diligenter obtineat ipsi assignatum, neque altius spirare velit. Itaque Corinthios jubet militum exemplum imitari. Neque enim omnes duces esse possunt aut centuriones, sed sunt etiam, qui sub ducibus stipendia mereantur. Quisque autem ordinem servare in quo positus est, et ea quae ipsi ab imperatore mandata sunt strenue diligenterque peragere debet. Quemadmodum enim qui nobiliore loco positi sunt indigent iis qui inferiorem ordinem obtinent, sic vice versa inferiores superioribus nullo modo possunt carere. Similiter in corpore caput pedibus, pedes capite indigere videmus; ita ut omnia membra communi quodam necessitudinis vinculo inter se conjungantur (c. 37). Quocirca ante omnia tenendum est id, ut alter alteri se sua sponte submittat, secundum gratiae donum quod ipsi concessum est. Fortis imbecillis, dives pauper, sapiens, modestus, castus, denique quisque pro sua parte id agere debet, quod cum iis quibus utitur vitae conditionibus consentaneum est. Omnes enim meminerint, semet ipsos per se nihil esse, sed omnia divinae gratiae accepta referre (c. 38). Atque hoc

ipsum etiam scripturae testimonio comprobatur: frustra igitur extollunt se qui suis tantum viribus nituntur (c. 39). Nimirum ut certo quodam tempore et certa quadam ratione fiat quidquid fiat, Deus singulis singula quibus praeesse debent ministeria distribuit. Quare alia sunt pontificis, alia sacerdotum, alia Levitarum, alia Laicorum officia; quicunque autem munere suo recte fungitur, Deo gratus acceptusque est (c. 40). Sic omnis generis sacrificia Hierosolymae tantum ante templum in altari a pontifice et sacerdotibus offeruntur. Qui vero muneris terminos transgreditur, is morte mulctatur (c. 41). Ordine deinceps a Deo Christus, a Christo apostoli, ab apostolis rursus episcopi et diaconi constituti sunt (c. 42). Neque quisquam mirabitur, si apostoli quibus hoc a Deo mandatum est, episcopos et diaconos ordinaverint. Etenim Moysem quoque, lite de pontificatu exorta, idem fecisse audivimus; et Moysis exemplum reliqui prophetae secuti sunt (c. 43). Jam narratur quonam modo episcopatus ab apostolis institutus sit. Apostoli enim primum quidem ipsi episcopos ordinaverunt, deinde vero his alios viros probatos succedere jusserunt. Nefas est igitur eos qui munere recte functi sunt, de loco suo ut nuper factum est removere (c. 44).

Reprehendendi igitur sunt Corinthii, qui tale facinus patraverunt. Neque enim unquam in scripturis sacris commemorantur viri probi et pii, qui ab hominibus Deum recte colentibus contumeliis affecti sint. Sed semper improbi fuerunt, qui probis invidere et quidvis damni inferre conarentur. Quamquam Deus iis qui voluntati ipsius morem gerebant, semper praesidio fuit eosque ab omni labe et periculo prohibuit (c. 45). Itaque cum sanctis et probis, neque vero cum pravis perversisque hominibus consuetudinem habere decet. Seditiones autem Corinthi exortae tanto acerbius vituperandae sunt, quo arctioribus caritatis vinculis Christiani inter se conjunguntur. Unus enim omnium Deus est, unus Christus, unus Spiritus effusus super omnes, una vocatio. Dissidia igitur membra Christi divellunt, commune corpus turpissime dilacerant. Huc accedit etiam, quod seditio ista multorum animos perturbavit, omnes moerore submersit. Nihilominus contentiones etiam nunc remanent (c. 46).

Admonentur jam Corinthii animum intendere ad id quod Paulus apostolus de seditionum turpitudine ipsis scripserit. Quamquam illae contentiones, Pauli aetate exortae, fortasse propterea veniam

impetraverunt, quod ad apostolos et ad virum quendam ab apostolis probatum pertinebant. Nunc vero homines exstiterunt admodum perversi, qui discordiae semina inter fratres spargere, ecclesiam perturbare, pristinam Corinthiorum virtutem perditum ire ausi sunt, seditionem contra presbyteros cientes. Quae quidem rixae quum ne ethnicos quidem laterent, res eo deducta est ut sanctissimum Christi nomen ob Corinthiorum perversitatem inter gentes blasphemaretur (c. 47).

Quamobrem lacrimando Dei clementiam invocare eamque ut amore caritateque animos nostros expleat orare debemus. Hanc unam enim viam si ingredimur, justificationis compotes fieri et ad Christi communionem pervenire possumus. Aliae omnes quibus quis praeditus est virtutes nullius pretii sunt, nisi animus submissus modestusque cum iis coniungatur (c. 48). Jam diserte celebrantur laudes amoris, qui omnia tolerat, omnia patitur, qui ab omni tumore fastidioque alienus est, qui homines ad summum perfectionis fastigium, ad Dei Christique similitudinem evehit (c. 49). Sed quum nemo nisi cui Deus concesserit amoris sensu repleatur, nostrum est dignos nos praebere, in quibus tantum beneficium collocetur. Per caritatem enim remittuntur peccata nostra (c. 50).

Quum igitur omnes qui de via declinaverunt peccatorum veniam petere deceat, tum imprimis ii qui seditionis auctores exstiterunt, omnibus nervis id agant necesse est, ut pax et concordia inter fratres restituatur. Semet ipsos potius quibusvis contumeliis subjiciant, quam ecclesiae salutem in periculum vocent. Multo enim melius esse docetur ingenua peccatorum confessione divinae majestati se submittere, quam si quis in gravissimas poenas incidat, quibus afficiantur qui corda pertinaciter obduraverint (c. 51). Nam Deus nulla re indiget, nisi quod majestatem suam ab hominibus agnosci et laudibus efferri vult, quod si quis fecerit Deo gratus acceptusque erit (c. 52). Sed exstat etiam alius Deum colendi modus multo ille quidem praestabilior et admirabilior. Cujus rei Moyses praebuit documentum luculentissimum. Qui quum dies noctesque in Deo laudando versaretur, tamen multis et supplicibus verbis Deum oravit, ut sibi imponeretur poena quae populo seditioso et pervicaci imminebat, populo vero ignosceretur (c. 53). Quod quidem egregium exemplum imitari jubentur qui se-

ditionis auctores fuerunt. Semet ipsos expellant illi, modo ne dissidia moveantur et pax ecclesiae et presbyterorum perturbetur. Sic Dei gratiam sibi reconciliabunt, et quoquoversus venerint a fratribus recipientur (c. 54). Ad hoc perpetrandum ut tanto propensiores fiant illi seditionum auctores, exempla afferuntur regum et principum, qui etiam inter ethnicos morti se ob tulerunt, vel carceribus se mandaverunt, vel ex patria sponte secesserunt, ut aliquid exinde salutis in populares redundaret. Accedunt exempla Israelitarum et Christianorum qui similiter semet ipsos vinculis tradiderunt, vel crudelissimam necem libenter subierunt, dummodo alios a vinculis periculisve imminentibus liberarent. Quid quod etiam feminae commemorantur nonnullae, ut Juditha, Esthera aliae, quae ad populum e servitute eripiendum ne gravissima quidem pericula extimuerint (c. 55).

Jam vero pro iis qui in peccata inciderunt omnes Christiani preces fundere invitantur. Mutua enim admonitio et correctio, quum plurimum ad mores emendandos valeat, nullo pacto aegre ferenda est. Atque haec ipsa etiam cum voluntate divina convenit, quandoquidem Deus quoque eos castigare solet quos amat (c. 56). Illi vero qui seditionis quasi fundamenta posuerunt, aures praebere debent admonitionibus. Mores igitur suos emendari sinant, presbyterorum mandatis se subjiciant, pravam istam qua inflati sunt arrogantiam deponant. — Multo enim praestantius est in Christi communione tanquam humilem et probatum inveniri, quam altius spirare et de spe Christianorum excidere. At superbos iram Dei profligaturam esse scriptura testatur (c. 57).

Jam interrumpitur orationis tenor, propterea quod in libro qui solus adhuc servatus est, paginae circiter tres desiderantur. Quae deinde leguntur ad extremam tantum epistolam pertinent. Ac primum quidem solemnes preces fiunt pro Corinthiorum omniumque Christianorum salute (c. 58). Deinde rogantur Corinthii, ut legatos ad se missos cito Romam remittant. Romanorum enim interesse, quam celerrime de restituta inter Corinthios pace et concordia certiores fieri. Postremo omnes qui Christi nomini addicti sunt, divinae clementiae commendantur, Deus vero solemnibus extollitur praedicationibus (c. 59).

Ex iis quae exposuimus apparebit epistolam totam in eo versari, ut intestinae Corinthiorum discordiae sedentur, et omnes ad eam qnam presbyteris praestare debeant obedientiam reducantur.

Quod quidem ita fit, ut primum quidem priscae Corinthiorum virtutes laudibus efferantur (— c. 3), deinde vero doceatur, quanto detrimento prava illa invidia et arrogantia semper fuerit hominibus (— c. 6). His expositis — liceat enim nobis totum sententiarum ordinem paucis denuo perlustrare — Corinthii arrogantiam illam deponere, atque poenitenti animo ad Deum se convertere jubentur. Quae quidem admonitio ut tanto majoris momenti sit, homines submissos et obedientes Deo gratos magnisque ab illo praemiis ornatos esse probatur (— c. 18), luculentissimaque obedientiae exempla ante oculos ponuntur, petita illa quidem primum ab ipsius Christi exinanitione quae vocatur, deinde a prophetis, patriarchis, aliis V. T. viris, postremo ab ipsa quae sensibus subjecta est rerum natura (— c. 22).

Sequitur, ut aeterna illa praemia illustrentur, quae Deus iis proposuit qui voluntati ipsius pia mente se subjiciant. Post corporis enim mortem in aeternum vivemus, Deus vero pro summa qua est veracitate ac potentia quidquid promiserit aut minitatus fuerit perficiet. Ei igitur fidem habere debemus si aeternae felicitatis participes reddi volumus, quamquam opera quoque nequaquam negligenda sunt (— c. 36).

Jam militum exemplo comprobatur necesse esse, ut sint non solum qui regant, sed etiam qui regantur. Itaque ut omnia suum ordinem teneant et ad certas quasdam leges dirigantur, jam in V. T. sacerdotum, Levitarum, Laicorum munera diligenter inter se distincta sunt. Quod quidem exemplum imitati ac spiritu sancto perfusi apostoli per singulas civitates episcopos et diaconos constituerunt. His nos subjicere debemus: divinitus enim instituti sunt; summae autem improbitatis est, si quis illos viros loco suo movere et ecclesiae pacem temere perturbare velit (— c. 46).

Jam ad finem perductum est quod auctor demonstrandum sibi proposuit. Additur admonitio, ut Corinthii eorum memores sint, quae Paulus apostolus olim de seditionibus scripserit (— c. 47); deinde animi humilitas et erga fratres caritas praeclaris laudibus exornantur (— c. 50).

Denique ii qui seditionis auctores fuere, omnia facere, omnia tolerare jubentur ut ne ecclesiae concordia turbetur. Reliqui eos admoneant castigentque, ipsi se admoneri et castigari patiantur (—c. 57). Quae supersunt ad epistolae conclusionem pertinent (— c. 59).

CAPUT II.

Summa doctrinae.

§. 1.

De munere ecclesiastico.

Episcopatus originem ab ipsis apostolis repetendam esse quum a catholicae ecclesiae doctoribus ad unum omnibus doceatur, tum vero etiam nuper inter nostrates a *Rothio* viro doctissimo [1]) haud sine eximia quadam mentis sagacitate defensum est. Est autem *Rothii* sententia, ut paucis illam comprehendamus, fere haec. Apostoli ubi primum praedicaverunt evangelium, per singulas urbes presbyteros et diaconos ad ecclesias gubernandas constituerunt. Deinde vero, paullo post Hierosolymam dirutam, ne recens Christianorum ecclesia intestinis discordiis perturbaretur, iidem apostoli mandatum dederunt, ut in quaque urbe reliquis presbyteris unus praeponeretur, qui ecclesiae concordiam ab omni seditione defenderet.

Ad quam sententiam comprobandam quatuor in medium profert argumenta. Ac primum quidem Petrum ideo Romam profectum esse statuit, quia Paulinae doctrinae tamquam albo calculo adiecto, ecclesiae unitatem restituere voluerit. Hanc enim Petrinae et Paulinae partis reconciliationem non potuisse non initium facere ecclesiae bene constituendae. Ac Petrum quidem Romam venisse,

---

[1]) In libro cui inscriptum est: Die Anfänge der christlichen Kirche und ihrer Verfassung (Wittenberg 1837). Cfr. inter catholicos theologos imprimis *Thönissen* 2 theol. Abhandlungen (Trier 1841), I. Contra *Rothium* disputavit imprimis *Baur,* Ursprung des Episkopats, p. 41—64. Cfr. etiam *Bunsen,* Ignatius, p. 95—104. *Ritschl,* Altkathol. Kirche, p. 370—72, 409—29 *Gundert,* Zeitschrift f. luther. Theologie (1854), I, 30 sqq.

non praecise negaverim [1]). Sed cetera omnia quae Rothe hinc colligenda esse putavit, quum nulla re ut ita statuamus cogamur, nil nisi mera opinionum commenta sunt neque quidquam valent ad id evincendum quod *Rothe* evincere voluit. Praedicationi autem *Pauli* quae vocatur nullam fidem habebit qui huic libro nihil aliud propositum esse perspexerit nisi hoc, ut Paulinam doctrinam cum Petrina omnino consentire demonstret. Ex hoc ipso autem apparet, utriusque partis contentiones ne ineunte quidem secundo saeculo p. Chr. n. prorsus profligatas fuisse aut compositas.

Alterum quod a *Rothio* proponitur documentum ab *Eusebio* petitum est (H. E. III, 11). Narrat autem hoc loco *Eusebius* rumorem esse de conventu quodam, qui post Hierosolymam dirutam ab apostolis habitus sit. Cui quidem narrationi quippe quae ab *Hegesippo* tradita esse videatur, nonnihil auctoritatis tribuendum, ipsum vero conventum eo consilio institutum esse Rothe censet, ut per omnes ecclesias episcopi eligerentur. Sed primum quidem etiamsi hanc narrationem ex *Hegesippo* sumtam esse concedamus, tamen exinde vix concludi potest, ipsum Hegesippum rumori illi («λόγος κατέχει») cuius mentionem facit, fidem habuisse. Deinde vero hoc ipsum Eusebii testimonium ne sufficit quidem ad Rothii opinionem comprobandam. Neque enim aliud quidquam illo loco narratur nisi hoc, Symeonem Jacobi successorem ab apostolis creatum esse. Symeon autem si Jacobi successor appellatur, alterutrum statuendum est: aut neque Jacobus neque Symeon inter episcopos numerari debent, aut Symeon non primus fuit Hierosolymitanae ecclesiae episcopus. Utrumvis eligamus, *Rothii* sententiae ne rumor quidem iste ab *Eusebio* traditus favet [2]).

Porro *Rothius* utitur *Irenaei* ut ajunt quodam fragmento, quo δεύτεραι τῶν ἀποστόλων διατάξεις commemorantur. Sed ut illud

---

[1]) Quod nuper factum est a *Baurio,* Ursprung des Episkopats, p. 41 sqq. Paulus p. 223 sqq. Quamquam Baurio concedendum est, multum abesse ut illam rem certam exploratamque habeamus. Nam verba Clementis quae capite 5 exstant, ne literula quidem Petrum Romam venisse significant. Post Clementem autem primus hujus traditionis testis est *Dionysius* Corinthius, cui haud ita multum fidei tribuerim. Nam idem ille Dionysius etiam Corinthiacam ecclesiam a Petro et Paulo conditam esse narrat.

[2]) Cfr. *Baur,* Ursprung des Episk. p. 44 sqq.

omittam, quod secundae illae apostolorum dispositiones admodum obscurae sunt et difficiles interpretatu [1]), nemo certe infitiabitur, toto verborum contextu ne per unam quidem literulam mentionem fieri muneris ecclesiastici.

Sed superest quartum quod *Rothe* proposuit testimonium, a *Clementis Romani* epistola petitum. Leguntur enim capite 44 haec: Καὶ οἱ ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. Διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν.

Qui quidem locus quo pluris aestimandus esse videtur ad primam ecclesiae formam cognoscendam, tanto diligentiori eget pervestigatione. Nimirum inde a capite 36 *Clemens* demonstrat, cuique quoniam certus quidam locus quem servare debeat, assignatus sit, nefas esse si quis ultra modum excedere, aut iis qui nobiliori loco positi sint obtrectare velit. Quemadmodum autem Christus a Deo, apostoli a Christo missi sint, ita presbyteros et diaconos ab apostolis mandatum habere, ut populo Christiano moderentur. Neque mirum id quidem: apostolos enim Moysis exemplum secutos esse, qui sacerdotes ex Aaronis familia eligendos curaverit, ne qua perniciosa plurium inter se oriretur aemulatio (c. 43) [2]). Sicut enim Moysem, ita etiam apostolos futuras rixas et contentiones animo praesagivisse. Jam vero quod ab apostolis originem ducit ecclesiasticum munus quo tandem modo ab illis constitutum sit, paullo accuratius describitur. Ac primum narrantur apostoli constituisse τοὺς προειρημένους, hoc est, ut omnes ad unum concedunt, episcopos et diaconos qui capite 42 commemorati sunt. Deinde vero narratur quid postea fecerint apostoli. Dicuntur autem illi aliquando post episcopos et diaconos ordinatos aliud dedisse mandatum, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. Quae quidem verba *Rothe* censet sic intelligenda esse, ut apostolorum successores (h. e. episcopos,

---

[1]) Nam quod *Baur* l. c. p. 52 sq. suspicatus est ipsam ecclesiae traditionem ab apostolis petitam hac voce significari, id non magis placet quam quae a *Rothio* proposita est interpretatio.

[2]) Cfr. supra p. 12.

sensu strictissimo sic dictos) constitutos esse credamus. Vertit autem vernacule: «und nachmals haben sie eine testamentarische verfügung getroffen, auf dass wenn sie gestorben seien, andre bewährte männer in ihrem (d. i. der apostel) amte succediren sollten»[1]. Sponte enim apparere existimat eum qui testamentum faciat non tam de iis statuere quae post aliorum, quam de iis quae post ipsius mortem facienda sint.

Quae quidem interpretatio si vera esset nemo certe dubitaret, quin Clemens inter apostolorum successores (i. e. episcopos) et eos qui ab apostolis antea constituti essent (presbyteros et diaconos) accuratissime distinxisset. Ita vero si statueremus, totam quam epistolae auctor de ecclesiae unitate suscepit opinionem multo etiam latius patere, non possemus non concedere. Nam episcopi si in apostolorum locum successissent, eadem etiam qua hi auctoritate valuissent. Apostoli autem non solum singulis conventibus sed toti Christianorum reipublicae prospicientes, universae tamquam ecclesiae personam gesserunt. Sequeretur, ut si verum esset quod Rothe putavit, jam Clementem Romanum sibi persuasisse crederemus, episcopos non tam ad singulos Christianorum conventus ab intestinis seditionibus prohibendos, quam ad universae ecclesiae unitatem conservandam constitutos esse. Sed ne in iis quidem epistolis quae *Ignatii* nomine circumferuntur episcopi universae ecclesiae vice funguntur[2], et apud *Irenaeum* demum ea sententia reperitur qua episcopi apostolorum successores ac vicarii et catholicae traditionis interpretes esse dicuntur (cf. *Iren.* haer. III, 3, 1; IV, 43, 63; V, 20). Quae quum ita sint, *Rothe* ipse viderit, quomodo quam proposuit sententiam cum tempore conciliet, quo Clementis epistola scripta esse putatur.

Sed aliis quoque, iisque gravissimis causis commovemur, ut *Rothii* interpretationem rejiciamus. Itaque ipsa verba paullo accuratius consideranda sunt. Tota *Rothii* interpretatio tanquam cardine vertitur una vocis ἐπινομῆς explicatione. Instituit enim copiosam subtilemque disputationem, qua vocem illam nihil nisi prae-

---

[1]) l. c. p. 389.

[2]) Cfr. *Uhlhorn,* Das Verhältniss der syr. Recension der ignat. Briefe zu der kürzern griechischen, und die Authentie der Briefe überhaupt. Zweite Abth. Zeitschr. f. hist. Theol. (1851), II, 317 sqq.

ceptum testamentarium significare posse exposuit. Quod uno tantum *Hesychii* loco firmatur apud quem notatum invenimus: ἐπίνομος, κληρονόμος [1]). Sed haec significatio quum rarissima sit et parum usitata, ante omnia id perquisivisse juvabit, qui tandem factum sit, ut ἐπίνομος idem quod κληρονόμος denotare queat. Deducuntur autem ἐπίνομος, ἐπινομὴ etc. a verbo ἐπινέμειν, cui duplex est notio, tribuendi et depascendi. Unde nomen substantivum ἐπινομία de iure aliorum civitatum agros depascendi Xen. Cyr. 3, 2, 23, ἐπινομὴ autem in iis locis qui apud Graecos reperiuntur, aut de igne grassante Plut. Alex. 35. Aelian. de nat. an. 12, 32 aut de vinctura dicitur qua medici vulnera obligant (Galen.). Quarum significationum nulla ad hunc locum explicandum adhiberi potest [2]). Sed exstat etiam nomen aliquod substantivum ἐπινέμησις, quod primum quidem ut ἐπινομὴ de incendio grassante usurpatur, Plut. Lys. 12. moralia p. 891. F. Diog. Laert. X, 93; deinde vero significat distributionem, assignationem. Hippocr. 27, 32. Clem. Al. saepius (cfr. ἐπινομὴ ἑνὸς εἰς πολλούς). Hinc perducimur ad nomen illud adj. ἐπίνομος. Dicitur enim hoc aut passiva aut activa significatione, aut de eo, quod alicui attribuitur, adsignatur, additur, aut de eo cui aliquid attribuitur. Quarum significationum altera apud Pindarum, Pyth. 12, 13, altera in loco illo Hesychii quo usus est *Rothe* reperitur. Apparet igitur, τὸν ἐπίνομον omnino illum significare (si activam significationem tenemus) qui alicujus rei particeps fit vel sorte, vel hereditate, vel quovis alio modo. Potest igitur sine dubio fieri, ut ἐπίνομος de herede dicatur, sed non necesse est. Pertinet enim hereditatis notio non ad ipsum distribuendi verbum, sed ad cohaerentiam tantummodo sententiarum. Quod ne cui temere statuisse videamur, etiam hoc addidisse juvabit, distribuendi vel assignandi significationem quum in verbo ἐπινέμειν, tum in nominibus inde deductis haud raro reperiri, praecepti vero testamentarii nusquam mentionem fieri [3]).

---

[1]) Cfr. *Böckh*, Inscr. II, 23, 37.

[2]) Quod *Möhler* arbitratus est (Einheit in der Kirche, p. 225 sqq.) ἐπινομὴν idem esse quod ἐπινομία («gegenseitiges weiderecht») nemini certe placebit. Conferantur quae ad eam sententiam refutandam monuit *Rothe* l. c. p. 379.

[3]) Simplex tantum nomen νομὴ interdum de distributione patrimonii inter heredes dicitur.

Efficitur, ut cui rei *Rothe* plurimam vim tribuendam esse censuit, mandatum illud quod apostoli ecclesiae dedissent testamento factum esse, ei rei ne minima quidem fides haberi possit. Quae quum ita sint, tota *Rothii* argumentatio subvertitur.

Sed priusquam propius animum advertamus ad *Rothium* refellendum, videamus, quanam tandem τῆς ἐπινομῆς significatione Clemens usus esse existimandus sit. Ex iis quae supra diximus intelligitur hoc loco de dispositione vel assignatione aliqua cogitandum esse. Sed hac in interpretatione quominus acquiescamus, impedimur eo, quod non commemoratur cui quid assignatum sit. Aut igitur ἡ ἐπινομὴ sensu latiori accipienda est, ita ut omnino mandatum sive praeceptum aliquod significet, quod ab apostolis ecclesiae datum sit, aut vero etiam decretum intelligendum est quod additur ad priores leges (ἐπινομή). Utrum praeferendum sit, difficile judicatu est: utriusque enim significationis documenta reperiuntur. Sic ἐπίνομος apud Appian. h. e. 3, 94 eodem fere modo usurpatur atque ἔννομος; atque similiter etiam τὸ ἐπινόμιον significat id quod legibus institutum est cf. *Boeckh,* Inscr. I, n. 1537, 8. Alterius vero significationis documentum est nomen illud substantivum ἐπινομὶς, quod libro cuidam Platonis nomen prae se ferenti inscriptum esse constat [1]).

Utrumvis eligas, *Rothii* rationes corruunt. Nam si testamenti nulla mentio injicitur, nihil impedit, quominus ad vulgarem illius loci interpretationem redeuntes, verba ἐὰν κοιμηθῶσιν et τὴν λειτουργίαν αὐτῶν non tam ad apostolos, quam ad τοὺς προειρημένους referamus. Pluralem autem numerum τὰς λειτουργίας αὐτῶν nemo exspectabit, qui ecclesiasticum ministerium omnino commemorari vel mediocriter secum reputaverit. Quemadmodum enim τὴν ἐπισκοπὴν ad presbyteros simul et diaconos pertinere ipse *Rothe* censuit, ita etiam τὴν λειτουργίαν h. e. ipsam ecclesiae procurationem ad plures simul presbyteros et diaconos referri posse nemo infitiabitur.

---

[1]) *Athenaeus* III, 97 D. memoriae prodidit τὴν ἐπινομίδα etiam strenam et praeterea partem quandam triremis significare. Posterior significatio unde deducta sit is demum judicabit, qui qualis illa pars fuerit cognoverit; priorem autem duplici modo explicare possumus: aut sic, ut strena donum sit quod additur, aut vero etiam sic, ut donum significet, quod consuetudinis lege sancitum sit.

A *Baurio* [1]) verba τὴν λειτουργίαν αὐτῶν ad presbyteros et diaconos referuntur; sed utrum hi an apostoli ad κοιμηθῶσιν subaudiendi sint, relinquitur in medio. Equidem vix dubitaverim, quin κοιμηθῶσιν etiam pertineat ad τοὺς προειρημένους: primum quod non tam de apostolorum quam de presbyterorum ministerio verba fiunt; deinde quod succedendi verbum arctissime cum verbis ἐὰν κοιμηθῶσιν conjungendum est. Misere autem perturbatur sententiarum ordo, si κοιμηθῶσιν quidem ad apostolos, διαδέξωνται vero ad successores non apostolorum sed presbyterorum refertur.

Sed *Rothe* interpretationem suam sequentibus quoque verbis confirmari putat. Sunt autem haec: Τοὺς οὖν κατασταθέντας ὑπ' ἐκείνων, ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν, συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης, καὶ λειτουργήσαντας ἀμέμπτως τῷ ποιμνίῳ τοῦ Χριστοῦ, μετὰ ταπεινοφροσύνης, ἡσύχως καὶ ἀβαναύσως, μεμαρτυρημένους τε πολλοῖς χρόνοις ὑπὸ πάντων, τούτους οὐ δικαίως νομίζομεν ἀποβαλέσθαι τῆς λειτουργίας. Nihil enim ait ille juvisset apostolos presbyterorum successores eligendos esse praecepisse, nisi simul viros quosdam constituissent aut post mortem suam eligi jussissent, quibus illud munus mandaretur. At enim *Rothe* non intellexit se sibimet ipsi quasi bellum intulisse. Nam si certum illum modum quaerit, qui ad presbyteros eligendos adhibendus esset, quidni etiam episcoporum apostolis mortuis eligendorum modum Clementi accuratius describendum fuisse censet? At enim episcopi ipsi successores sibi eligebant. Concedo. Sed quid tandem impedit, quominus etiam presbyteris et diaconis post apostolorum mortem idem licuisse statuamus? Presbyteri igitur et diaconi appellantur ἕτεροι ἐλλόγιμοι ἄνδρες propterea quod et ipsi digni esse debuerunt, qui et singulas ecclesias regerent et sibimet ipsis toto conventu consentiente successores eligerent. Quod praeterea *Rothe* in medium profert illud μεταξὺ non posse non ad antecedentia verba ἐὰν κοιμηθῶσιν (sc. οἱ ἀπόστολοι) referri, simpliciter negandum est [2]).

---

[1]) l. c. p. 56.

[2]) Conferantur praeterea quae *Baur* exposuit, Ursprung des Episkopats, p. 53 sqq. Nonnulla quae a *Rothio* prolata sunt de industria praetermisi, quippe quum jam a *Baurio* satis examinata sint. Nuperrime disseruerunt de hoc loco *Hilgenfeld*, l. c. p. 70 sq. *Gundert*, Zeitschrift für lutherische Theologie (1854), p. 52 sqq.

Totam igitur hujus loci interpretationem ut paucis comprehendamus, Clemens presbyteros et diaconos ab apostolis statim ut illi prima ecclesiae fundamenta posuerunt constitutos esse narrat; deinde vero ne intestinae contentiones de recenti munere orirentur, eosdem apostolos praeceptum addidisse, ut his presbyteris et diaconis alii viri probati succederent. Ex hoc ipso enim, quod munus ecclesiasticum ab apostolis originem traheret, luculenter apparere nefas esse, si quis eos qui vel ab ipsis apostolis vel ab aliis viris probatis apostolorum jussu ad ecclesiam gubernandam constituti essent, de loco dejicere conaretur. Nemo non intelligit eos qui jam ἕτεροι ἐλλόγιμοι ἄνδρες appellantur, diversos esse ab iis qui paullo ante iisdem fere verbis vocati sunt ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες. Nam utrique ex presbyterorum quidem et diaconorum numero sunt; sed ii de quibus antea sermo erat, sunt successores eorum presbyterorum qui ab apostolis olim constituti erant. Postea vero ἕτεροι ἐλλόγιμοι ἄνδρες ipsis apostolis opponuntur, ita ut statim appareat, eorum presbyterorum qui ab apostolis neque vero a decessoribus eorum ordinati sint mentionem fieri [1]).

Jam vero tempus est ad reliquos locos in quibus episcopi vel presbyteri commemorantur, paullo accuratius animum advertere.

Et *Rothe* quidem ut illam quam ad caput 44 proposuit interpretationem tueretur, ubique id egit, ut episcopos et presbyteros jam a Clemente probe distingui demonstraret. Quam quidem sententiam duobus potissimum argumentis stabilire studuit. Primum enim episcoporum nomen nunquam de presbyteris usurpari affirmat. At sunt apud Clementem nonnulli loci, in quibus episcoporum nomen ad presbyteros pertinere appareat. Quorum locorum primus legitur sub finem capitis 42: Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. Καὶ τοῦτο οὐ καινῶς· ἐκ γὰρ δὴ πολλῶν χρόνων

---

[1]) Ab hac interpretatione etiam ii parum discedunt, qui nuper vocem ἐπινομὴν mutandam esse censuerunt. Ex quo numero fuit *Bunsen*, qui in libro, Ignatius v. Antiochien u. seine Zeit, p. 98 sqq., *Turnerum* (apud *Usserium* de epp. Ign. §. 18) secutus ἐπινομὴν in ἐπιμονὴν correxit, et *Ritschl* altkath. Kirche, p. 371) qui ἐπιστολὴν legendum esse censuit. Neutra tamen emendatione opus est.

ἐγέγραπτο περὶ ἐπισκόπων καὶ διακόνων· οὕτως γάρ που λέγει ἡ γραφή· καταστήσω τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ τοὺς διακόνους αὐτῶν ἐν πίστει.

Rothe quum vocem τῶν ἐπισκόπων ad presbyteros pertinere negare nequeat, difficultatem ita expediendam esse censet, ut vocem illam ad veteris testamenti locum accommodatam esse nobis persuadere studeat. Sed videat vir doctissimus, ne semet ipsum fefellerit. Apud Jesaiam enim quum haec legantur καὶ δώσω τοὺς ἄρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ, καὶ τοὺς ἐπισκόπους σου ἐν δικαιοσύνῃ [1]), nemo non intelligit Clementem de industria verba mutasse, propterea sc. quod Jesaiae locus non satis perspicue id ostendere videbatur quod auctor ostendere voluit. Itaque ut praeter episcopos etiam diaconos ex divino mandato constitutos, illis tamen honore et auctoritate inferiores esse doceret, seriem verborum mutavit Clemens et in locum τῶν ἀρχόντων substituit τοὺς διακόνους. Clemens igitur quum diligentissime ordinem et nomina magistratuum observaret, nullo pacto episcoporum mentionem fecisset, nisi presbyteri illo tempore vulgo sic appellati essent [2]). Accedit, quod ille si inter episcopos et presbyteros diligenter distinxisset, vix presbyteris omissis episcopos tantum et diaconos commemoravisset, praesertim quum illi liceret vocem τῶν ἀρχόντων non tam in διακόνους quam in πρεσβυτέρους mutare.

Alter locus de quo disputavit *Rothe* ex capite 44 desumtus est. Ibi leguntur haec: Ἁμαρτία γὰρ οὐ μικρὰ ἡμῖν ἔσται, ἐὰν τοὺς ἀμέμπτως καὶ ὁσίως προσενεγκόντας τὰ δῶρα, τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλωμεν. Μακάριοι οἱ προοδοιπορήσαντες πρεσβύτεροι, οἵτινες ἔγκαρπον καὶ τελείαν ἔσχον τὴν ἀνάλυσιν· οὐ γὰρ εὐλαβοῦνται μή τις αὐτοὺς μεταστήσῃ ἀπὸ τοῦ ἱδρυμένου αὐτοῖς τόπου. Sponte apparet τὴν ἐπισκοπὴν referendam esse ad presbyteros. Sed ne quis exinde colligat episcopatum et presbyteratum

---

[1]) Jes. LX, 17. LXX.

[2]) Quod ut tanto clarius appareat, conferatur locus *Irenaei* haer. IV, 26. Ibi quum de presbyteris neque de diaconis sermo sit, testimonium Jesaiae ne literula quidem mutata affertur. Nimirum Irenaeus distinxit quidem inter episcopos et presbyteros, sed non nisi sic, ut episcopi quamvis nobiliore loco positi tamen ex communi presbyterorum numero essent. Nomen igitur τῶν ἀρχόντων episcopos pariter atque presbyteros complectitur; deinde vero episcopi proprio ac solemni nomine designantur.

idem significare, *Rothe* nos alium locum conferre jubet, ex eodem capite depromtum καὶ οἱ ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν ... ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. Διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν... κατέστησαν τοὺς προειρημένους. Quum autem supra et presbyteri et diaconi commemorati sint, τὴν ἐπισκοπὴν sensu generaliori dictam esse statuit, ita quidem ut presbyterorum aeque ac diaconorum munus eodem nomine comprehendatur. Neminem autem nisi qui diaconos quoque cum episcopis confundere velit, inde colligere posse, episcopos et presbyteros plane eodem munere esse functos.

Cui rationi nuper *Ritschl* [1]) objecit, Clementem loco supra citato haud dubie de presbyteris, neque vero de diaconis cogitasse. Recte ille quidem; sed altero tamen loco ἡ ἐπισκοπὴ non sine quadam veritatis specie etiam ad diaconos referri posse videtur. Verum enim vero uberiore disputatione omnino non opus est. Nimirum etiamsi *Rothio* omnia quae ille hinc colligenda esse putavit concessissemus, efficeretur nihil nisi hoc, ut hunc locum per se non satis esse concederemus ad *Rothium* refellendum. Non obstaret *Rothii* opinioni; demonstraret eorum quae ille sibi persuasit nihil.

Multo speciosior alius locus est, quem *Thoenissen* ex capite 40 protulit: Τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσίν, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ λευΐταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται· ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται. Putat autem pontificem maximum ad episcopum, sacerdotes ad presbyteros, Levitas ad diaconos pertinere. Non negare possum, V. T. hierarchiam quae vocatur h. l. ad Christianorum societatem accommodari; ipsa verba τόπος et διακονία quibus usus est Clemens demonstrant, illud ad presbyteros (cfr. c. 44: Ἀπὸ τοῦ ἱδρυμένου αὐτοῖς τόπου), hoc ad diaconos referri. Sed summus pontifex non episcopus est, sed Christus. Cfr. c. 36: Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἀρχιερέα τῶν προςφορῶν ἡμῶν. c. 58: διὰ τοῦ ἀρχιερέως καὶ προστάτου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Alterum quo utitur *Rothe* testimonium ab ipsius Clementis persona petitum est. Putat enim per se intelligi, eum qui et ipse ex communi veteris ecclesiae consensu episcopus esset, episcopum a presbyteris distinxisse. Sed ne huic quidem argumento

---

[1]) l. c. p. 411.

assentiri possumus. Ponamus neminem adhuc de epistolae authentia disputavisse. At jam *Bunsen* [1]) putavit, Romae quidem episcopatum illo tempore institutum fuisse, neque vero Corinthi. Censet enim episcopos pedetentim tantum presbyteris praepositos esse, serius in aliis, ocius in aliis ecclesiis. Quam quidem sententiam quomodo refellat, ipse *Rothe* viderit. At ne *Bunsenii* quidem sententia satis firmata est documentis. Nemo enim unquam demonstravit, Clementem illo munere quod postea a presbyterorum officiis accurate distinguitur, revera functum esse. Posteriorum autem scriptorum testimonia nihil valent ad id evincendum. Perquam enim credibile est, illos permutatis temporibus suae aetatis instituta ad priscae ecclesiae statum transtulisse. Quotquot igitur afferuntur testimonia nihil aliud ostendunt nisi hoc, Clementem inter reliquos qui tunc Romae vixerunt presbyteros non potestate, sed auctoritate floruisse. Sed mittamus hoc: postea enim ubi de persona Clementis verba fient, uberius de hac re agendum est.

Nihil igitur nos commovebit, ut *Rothii* sententia probata Clementem inter episcopum et presbyteros distinxisse existimemus. Sed ne *Rothe* quidem infitiatus est, nullum in epistola locum reperiri, ex quo episcopum presbyteris praefuisse intelligatur. Quare quod argumentis idoneis demonstrare non potuit, id rationibus quibusdam quae ex conjectura pendent firmare conatus est. Putavit enim illo ipso tempore quo Clementis epistola scripta esset, sedem episcopalem quae vocatur orbam fuisse. Episcopo autem mortuo, multos novarum rerum studiosos exstitisse, qui leges ecclesiae mutare, presbyteros de loco movere, novum quod plebis dominationi faveret presbyterorum collegium instituere auderent [2]).

Sed haud scio an haec quoque sententia futilis et commenticia sit. Nam ut alia transeamus, *Rothii* conjectura ne levissimo quidem documento probatur, sed propterea tantum ficta est, quod ille ut perversam quam de episcopatus origine suscepit opinionem deponeret nullo pacto a se impetrare potuit. Praeterea sunt quaedam testimonia, quae contrariae sententiae haud mediocriter faveant. Quorum primum ab ipso silentio petitur quo episcopi munus transmittitur. Nihil dico de iis locis in quibus presbyterorum tantum

[1]) l. c. p. 134.
[2]) p. 404 sqq.

mentio fit. Etenim si illo tempore episcopus mortuus fuisset, fieri certe non potuisset, quin praeter presbyteros etiam episcopi auctoritatem Clemens stabilire studeret. Sed recte jam *Baur*[1]) monuit, propter episcopi decessum si Corinthiorum conventus perturbatus esset, Clementem ante omnia debuisse id spectare, ut novus episcopus Corinthiis praeponeretur. Quod quidem verum esse ipse *Rothe* satis imprudenter confessus est. Leguntur enim in libro ejus[2]) haec: «wahrscheinlich wurde die ordnung erst dadurch wieder völlig hergestellt, dass die gemeinde, vermuthlich durch die mitwirkung der benachbarten bischöfe, einen neuen bischof erhielt, der mit nachdrücklichem ansehn die entfesselten gemüther wieder unter die zucht der kirche zurückzubringen wusste.» At hoc ipsum Clemens etiam atque etiam Corinthiis commendare debuit.

Accedit quod Clemens tanto diligentius cohortari debuisset Corinthios ad episcopum eligendum, quo vehementius timendum esset, ne ii qui populare inter Corinthios imperium constituere vellent, omnes omnino ecclesiae magistratus missos facerent, neve in defuncti episcopi locum alium non substituerent. Nam quum ne presbyterorum quidem auctoritati omnes parerent, ita ut munus eorum ab apostolis originem trahere Clementi sedulo demonstrandum esset, quis crediderit homines istos seditiosos lubentius se subjecisse episcopi cujusdam auctoritati, quippe quae etiam recentior esset quam munus presbyterorum? Respicias VII illas epistolas, quae nunc Ignatio adscribuntur; sine dubio multis annis post Clementis epistolam ortae sunt; et tamen omnibus nervis auctor contendit, ut lectores ad obedientiam episcopo praebendam commoveret[3]). Quod mirum esset, si jam Clementis tempore episcopatus ita firmatus fuisset, ut episcoporum munus nemo, presbyterorum magna certe ecclesiae pars abrogare studeret.

Sed non opus est de hac re uberius disputare: praeter Bau-

---

[1]) Ursprung des Episkopats, p. 69.

[2]) p. 405.

[3]) Cfr. Magn. 3: ... Καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους, πρεσβυτέρους οὐ προσειληφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς φρονίμους ἐν Θεῷ συγχωροῦντας αὐτῷ (sc. τῷ ἐπισκόπῳ). Frustra enim laborant, qui τὴν νεωτερικὴν τάξιν ad aliud quid pertinere censent quam ad episcopatum recenter institutum.

rium enim *Bunsen* [1]) exstitit qui Rothii conjecturam tam subtiliter redargueret, ut vix quidquam reliquum sit quod addamus.

Unum tantum addidisse juvabit argumentum, quod luculenter docet priscam ecclesiae formam illo tempore quo epistola concepta est, nondum fuisse mutatam. Sunt enim loci, in quibus simplicissimum et vetustissimum ut videtur nomen τῶν ἡγουμένων de iis usurpatum sit, qui ecclesiastico munere fungerentur. Conferamus c. 1 ubi haec leguntur: Ὑποτασσόμενοι τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ τιμὴν τὴν καθήκουσαν ἀπονέμοντες τοῖς παρ᾽ ὑμῖν πρεσβυτέροις. C. 21: τοὺς προηγουμένους ἡμῶν αἰδεσθῶμεν, τοὺς πρεσβυτέρους ἡμῶν τιμήσωμεν.

Utrobique Clemens quum distinguere videatur inter praepositos et presbyteros, fortasse quispiam in eam opinionem inciderit, ut praepositos eodem munere functos esse credat atque episcopos [2]). Ita si statueremus, de industria distincti essent episcopi a presbyteris. Attamen quominus huic sententiae accedamus, impedimur primum illa ipsa qua Clemens usus est voce τῶν ἡγουμένων. Nullum enim exstat testimonium, quo episcopis tantum id nomen tributum esse demonstretur. Imo haec ipsa vox haud dubie sensu latiori accipienda est, ita ut de omnibus omnino qui ecclesiae gubernandae praeessent usurpata sit. Pertinet igitur ad primum illum et simplicissimum ut ita dicam ecclesiae statum, qui fere nihil inter episcopos ac presbyteros ante oculos ponit discriminis. Non ignoro quidem posteriore quoque tempore quum episcopi reliquos presbyteros jam diu auctoritate potestateque superarent, episcopos interdum simplici presbyterorum nomine appellari [3]). Sed hoc illic dumtaxat fit, ubi soli episcopi commemorantur neque presbyterorum simul mentio injicitur. Praeterea eandem vocem τῶν ἡγουμένων etiam extra Clementis epistolam invenimus. Similis vox apud Paulum apostolum exstat 1 Thess. V, 12 Τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν καὶ προ-

[1]) Ignatius von Antiochien und seine Zeit, p. 99 sqq. *Bunseni* sententiam amplexus est etiam *Gundert*, l. c. p. 30 sqq.

[2]) Statuit ita nuper *Thoenissen*, l. c. — Ceterum sententia *Burtoni* qui omnino non viros ecclesiasticos, sed magistratus civiles intelligit, nemini certe placebit. Satis sunt quae ad hanc sententiam refellendam jam pridem a Clerico in medium prolata sunt.

[3]) Cfr. Iren. haer. III, 2, 2. 3, 1. 2. IV, 26, 2. 3. 4. 5. V, 20, 2. Cfr. etiam *Ritschl*, l. c. p. 431 sqq. *Rothe* de hac re disputavit p. 413 sqq

ἱσταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς. Sed illud ipsum τῶν ἡγουμένων vocabulum bis legitur in epistola ad Hebraeos scripta XIII, 7: Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. XIII, 17: Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένους ὑμῶν καὶ ὑπείκετε· αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὡς λόγον ἀποδώσοντες ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν [1]). Utrobique autem praepositorum nomine ii signantur, qui omnino ad Christianos erudiendos confirmandosque constituti sunt (neque quidquam discriminis inter praepositos et presbyteros intercedit, nisi forte hoc, quod presbyterorum nomen paullo etiam serius a Christianis adhibitum esse videtur). Jam vero Clementem illa epistola usum esse quum aliunde constet, vix dubitari potest, quin praepositorum vox eodem sensu accipienda sit apud Clementem atque in epistola ad Hebraeos scripta.

Sed accedit etiam alia causa, qua prorsus impedimur, quominus praepositos illos posterioris aevi episcopos intelligamus. Loquitur enim Clemens non de uno, sed de pluribus qui inter Corinthios sint praepositi. Episcopus autem in quaque ecclesia unus, presbyteri multi fuerunt [2]).

Nihilominus vix credibile est, praepositorum et presbyterorum nomen plane idem significare. Imo προηγούμενοι sensum habet generaliorem, quum significet omnino eos, qui ad ecclesiam regendam gubernandamque constituti sunt; presbyterorum autem nomen primis temporibus non tam nomen officii, quam nomen honoris fuisse constat. Namque in numerum episcoporum vel praepositorum relati sunt ii dumtaxat, qui aetate provectiores fuerunt. Quo effectum est hoc, ut in Clementis quoque epistola licet presbyteri jam ecclesiasticis muneribus fungerentur, tamen plus uno loco sta-

---

[1]) Cfr. etiam Luc. XXII, 25, 26 Οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν εὐεργέται καλοῦνται· ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλ' ὁ μείζων ἐν ὑμῖν γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος καὶ ὁ ἡγούμενος ὡς ὁ διακονῶν Haec verba plane sic nt leguntur, ex Christi ore exiisse vix credibile est (cfr. Mt. XX, 26 sqq. Mc. X, 43). Imo produnt potius eam ecclesiae aetatem, qua primis iam ordinis ecclesiastici fundamentis jactis, inter τῶν ἡγουμένων et τῶν διακόνων munera, neque vero inter episcopos et presbyteros distinctum sit.

[2]) Atque hoc in causis fuit, cur ne *Rothe* quidem hunc locum de episcopo intelligeret, l. c. p. 403.

tim post presbyteros juniorum mentio fieret cfr. c. l. 3. 21 [1]). Utrumque igitur nomen quum eosdem quidem nec vero idem significaret, a Clemente cautissime conjunctum est: vox τῶν ἡγουμένων lectoribus in mentem revocavit commune obsequii officium quod inferiores superioribus praestare debent; voce τῶν πρεσβυτέρων addita juniores non potuerunt non admoneri, ut senes debitis honoribus prosequerentur [2]).

Atque haec ipsa presbyterorum nominis ambiguitas multo etiam facilius explicatur, si priscam simplicissimamque ecclesiae formam Clementi ante oculos versatam esse censuerimus, quam si quis de qualibet posteriorum temporum forma cogitaverit.

Quibus omnibus satis demonstravisse mihi videor, Clementis epistolam nihil inter episcopos et presbyteros discriminis facere. Duo tantum distinguuntur ecclesiae magistratus: episcopi sive presbyteri et diaconi.

Jam videamus, quid de presbyterorum et diaconorum muneribus Clemens docuerit.

---

[1]) Cfr. etiam Polyc. ad Philipp. c. 5: Ὁμοίως διάκονοι ἄμεμπτοι κατενώπιον αὐτοῦ τῆς δικαιοσύνης, ὡς θεοῦ καὶ Χριστοῦ διάκονοι, καὶ οὐκ ἀνθρώπων. . . . Ὁμοίως καὶ νεώτεροι ἄμεμπτοι ἐν πᾶσιν, πρὸ παντὸς προνοοῦντες ἁγνείας καὶ χαλιναγωγοῦντες ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς κακοῦ. . . . Διὸ δέον ἀπέχεσθαι ἀπὸ πάντων τούτων, ὑποτασσομένους τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ.

[2]) *Rothe, Bunsen* (p. 102) et *Gundert* (l. c. p. 52) *Burtoni* auctoritatem secuti tribus illis locis vocem τῶν πρεσβυτέρων nonnisi de senibus strictissimo sensu accipiendam esse censent. At enim parum curaverunt illi quod c. 1 et 21 presbyteri statim post praepositos commemorantur, ita ut admodum credibile esse videatur, Clementem ipsa praepositorum mentione ad presbyteros ecclesiasticos perductum esse. Ad hoc capite 3 juniores quidem senioribus obstrepuisse narrantur. Sed id pertinet ad illud quod toti epistolae propositum est, ut Corinthii scilicet ad obedientiam presbyteris praestandam commoveantur. Verba sunt haec: Οὕτως ἐπηγέρθησαν οἱ ἄτιμοι ἐπὶ τοὺς ἐντίμους, οἱ ἄδοξοι ἐπὶ τοὺς ἐνδόξους, οἱ ἄφρονες ἐπὶ τοὺς φρονίμους, οἱ νέοι ἐπὶ τοὺς πρεσβυτέρους. Apparet autem τοὺς πρεσβυτέρους eosdem esse atque illos qui οἱ ἔντιμοι, οἱ ἔνδοξοι, οἱ φρόνιμοι dicuntur, i. e. presbyteros ecclesiasticos quibus discordiae auctores se subjicere noluerunt. Verum vidit *Hilgenfeld*, l. c. p. 75 sq., not. 2.

Ordinis ecclesiastici auctoritas quum admodum concussa esset inter Corinthios, Clemens primum quidem ad V. T. sese convertit. Demonstrat enim c. 40 et 43 Moysis exemplo, jam antiquissimis temporibus fuisse, qui ecclesiae regendae proponerentur. Itaque diversa pontificis, sacerdotum, levitarum officia exponuntur, eo quidem consilio, ut jam e V. T. repetatur exemplum certae cujusdam munerum et officiorum descriptionis. Ejusmodi autem exemplum quum etiam ab ordine militari qui inter gentes institutus est repetatur (c. 37), facile quispiam putaverit V. T. exemplum Clementi non majoris momenti esse ad ordinis ecclesiastici auctoritatem fulciendam, quam gentium illam quam commemorat consuetudinem. Nihilominus rejicienda est haec opinio. Nimirum totum V. T. quum tamquam simulacrum et umbra christianae religionis sit, ita etiam quae in V. T. instituta est hierarchia typo et simulacro futuram Christianorum hierarchiam adumbravit. In his ipsis futurarum rerum typis interpretandis versabatur primaeva Christianorum γνῶσις, cfr. c. 40: Προδήλων οὖν ἡμῖν ὄντων τούτων, καὶ ἐγκεκυφότες εἰς τὰ βάθη τῆς θείου γνώσεως, πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐ[κέλ]ευ[σε]ν κατὰ καιροὺς τεταγμένους .... αὐτὸς ὥρισεν τῇ ὑπερτάτῃ αὐτοῦ βουλήσει, ἵν᾽ ὁσίως πάντα τὰ γινόμενα ἐν εὐδοκήσει εὐπρόσδεκτα εἴη τῷ θελήματι αὐτοῦ. Cfr. c. 41: Οἱ οὖν παρὰ τὸ καθῆκον τῆς βουλήσεως αὐτοῦ ποιοῦντές τι, θάνατον τὸ πρόστιμον ἔχουσιν. Exemplo igitur Mosaicae hierarchiae Clemens utitur ideo, quia obedientiam presbyteris praestandam divina lege nobis imperatam esse docere studet. Atque eodem referendum est Jesaiae illud testimonium quo ἐπίσκοποι commemorantur.

Postquam de Levitarum ordine qui inter Israelitas erat disputatum est, Clemens ipsam muneris ecclesiastici originem exponit. Quod quum ab apostolis repetendum esse censeat, primum quidem ipsam apostolorum auctoritatem firmaturus, apostolos a Christo, Christum a Deo missum esse ostendit. Deinde vero enarrat, quo modo presbyteri et diaconi ab apostolis per singulas urbes constituti sint [1]). Postremo presbyterorum munere non primis tantum

[1]) Non hujus loci est, uberius perquirere, num id quod Clemens de apostolis narravit, cum historiae fide conveniat nec ne. Mihi quidem huic loco neque adversari videtur 1 Cor. XII, 28 quandoquidem κυβερνήσεις καὶ ἀντι-

ecclesiae temporibus opus fuisse docet, sed novum affert apostolorum ut ait decretum, quo presbyteri viros eligere jubentur qui in munere fungendo sibi succederent.

Sed omnia id spectant, ut divina muneris ecclesiastici institutio evincatur. Cfr. c. 42: Οἱ ἀπόστολοι ἡμῖν εὐηγγελίσθησαν ἀπὸ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἀπὸ τοῦ θεοῦ. Ἐξεπέμφθη ὁ Χριστὸς οὖν ἀπὸ τοῦ θεοῦ καὶ οἱ ἀπόστολοι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ· ἐγένετο οὖν ἀμφότερα εὐτάκτως ἐκ θελήματος θεοῦ. Deinde multis verbis narrat apostolos Spiritu Sancto perfusos fuisse, quae omnia eodem pertinent ut divina muneris ecclesiastici origo doceatur [1]).

Jam vero si quis causam quaerat, quamobrem constituti sint in ecclesiis presbyteri et diaconi, Clemens sponte intelligi putat, rempublicam bene constitutam carere non posse magistratibus. Presbyteris igitur hoc propositum est, ut tamquam duces milites, ipsi laïcos in suo officio quemque contineant, ut bonam disciplinam aut servent in ecclesia aut si turbata sit restituant, denique ut moderentur ecclesiam et quidquid in illa agatur ad certum quendam

---

λήψεις omnino non cogitari possunt, nisi certi quidam viri certo quodam modo iis fungantur, neque 1 Cor. XVI, 15 propter id ipsum quod διακονία latius patet, neque ad certum illud quod sensu strictiori sic dictum est officium ecclesiasticum referri potest. Nihil autem impedit, quominus statuamus Stephanam utpote τὴν ἀπαρχὴν τῆς Ἀσίας (cfr. Clem. 42: Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν) ad ecclesiam quae apud eum conveniebat regendam ab ipso Paulo constitutum esse. Nam quod et ipse Stephanas et ii qui ex eius familia fuerunt, multos labores ad fratres sublevandos sponte sua suscepisse dicuntur, id Stephanam injussu Pauli munere suo functum esse neutiquam demonstrat. Nam ipsi quoque apostoli haud dubie iis tantum munera fungenda tradiderunt, qui quum propter χάρισμα quod acceperant a Spiritu Sancto, i. e. hoc loco propter χάρισμα τῆς κυβερνήσεως, idonei esse viderentur (δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι Clem.), tum imprimis amore et beneficientia erga fratres excellentes promti paratique essent ad omnis generis labores et negotia suscipienda. Apostolos autem non solum in condendis, sed etiam in constituendis ordinandisque ecclesiis plurimum valuisse nemo in dubium vocare debuit. Quae si cui placuerint, is etiam iis quae Rom. XVI, 14. 15. Phil. I, 1. 1 Thess. V, 13. Act. XIV, 23. XV, 21 leguntur, ad Clementis narrationem confirmandam iure suo utetur.

[1]) Cfr. etiam totam sententiarum dispositionem quam supra explicavimus in argumento epistolae enarrando.

ordinem adducant. Itaque plurimi facienda est obedientia, quam laïci presbyteris praestare debent. Cfr. c. 1: Τοῖς νόμοις[2]) τοῦ θεοῦ ἐπορεύεσθε, ὑποτασσόμενοι τοῖς ἡγουμένοις ἡμῶν καὶ τιμὴν τὴν καθήκουσαν ἀπονέμοντες τοῖς παρ' ὑμῖν πρεσβυτέροις. C. 21: Τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ... ἐντραπῶμεν, τοὺς προηγουμένους ἡμῶν αἰδεσθῶμεν, τοὺς πρεσβυτέρους ἡμῶν τιμήσωμεν. C. 47: Αἰσχρὰ καὶ λίαν αἰσχρὰ καὶ ἀνάξια τῆς ἐν Χριστῷ ἀγωγῆς ἀκούεσθαι τὴν ... Κορινθίων ἐκκλησίαν ... στασιάζειν πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους. C. 54: Μόνον τὸ ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ εἰρηνευέτω μετὰ τῶν καθεσταμένων πρεσβυτέρων. C. 57: Ὑμεῖς οὖν οἱ τὴν καταβολὴν [τῆς] στάσεως ποιήσαντες, ὑποτ[άγη]τε τοῖς πρεσβυτέροις καὶ πα[ιδεύ]θητε εἰς μετάνοιαν ... μάθετε ὑποτάσσεσθαι κτλ.

Tota enim ecclesia quasi unum corpus est: nobiliora membra inferioribus inferiora nobilioribus invicem indigent. C. 37: Κατανοήσωμεν τοὺς στρατ[ευο]μένους τοῖς ἡγουμένοις ἡ[μῶν], πῶς εὐτάκτως, πῶς εὐείκτω[ς], πῶς ὑποτεταγμένως ἐπιτελ[οῦ]σιν τὰ διατασσόμενα. Οὐ πάντ[ες] εἰσὶν ἔπαρχοι, οὐδὲ χιλίαρχοι, οὐδὲ ἑκαντόνταρχοι, οὐδὲ πεντηκόνταρχοι, οὐδὲ τὸ καθεξῆς· ἀλλ' ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι τὰ ἐπιτασσόμενα ὑπὸ τοῦ βασιλέως καὶ τῶν ἡγουμένων ἐπιτελεῖ. Οἱ μεγάλοι δίχα τῶν μικρῶν οὐ δύνανται εἶναι, οὔτε οἱ μικροὶ δίχα τῶν μεγάλων· σύγκρασίς τίς ἐστιν ἐν πᾶσιν καὶ ἐν τούτοις χρῆσις. Λάβωμεν τὸ σῶμα ἡμῶν. Ἡ κεφαλὴ δίχα τῶν ποδῶν οὐδέν ἐστιν, οὕτως οὐδὲ οἱ πόδες δίχα τῆς κεφαλῆς· τὰ δὲ ἐλάχιστα μέλη τοῦ σώματος ἡμῶν ἀναγκαῖα καὶ εὔχρηστά εἰσιν ὅλῳ τῷ σώματι. Ἀλλὰ πάντα συμπνεῖ καὶ ὑπο[τα]γῇ μιᾷ χρῆται εἰς τὸ σώζεσθαι ὅλον τὸ σῶμα. Cfr. etiam c. 38: Σωζέσθω οὖν ἡμῶν ὅλ[ον] τὸ σῶμα ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ καὶ ὑποτασσέσθ[ω] ἕκαστος τῷ πλησίον αὐτοῦ κτλ. Obedientia igitur erga presbyteros propterea omnibus commendatur, quia quisque locum servare debet in quo a Deo constitutus est. C. 41: Ἕκαστος ὑμῶν ... ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω θεῷ ... μὴ παρεκβαίνων τὸν ὡρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτοῦ κανόνα. Imprimis presbyteri certum quendam locum obtinere dicuntur, de quo nefas est illos dejicere c. 40: Τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται c. 44: Μή τις αὐτοὺς μεταστήσῃ ἀπὸ τοῦ ἱδρυμένου αὐτοῖς τόπου. Quocirca iis

[2]) Non est quamobrem cum plurimis editoribus τοῖς νόμοις in τοῖς νομίμοις corrigam.

obtemperare par est, quippe qui pro divinis donis sibi concessis ad ecclesiam regendam idonei sint c. 38: Καὶ ὑποτασσέσθω ἕκαστος τῷ πλησίον αὐτοῦ, καθὼς καὶ ἐτέθη ἐν τῷ χαρίσματι αὐτοῦ. Nam viri tantum qui Spiritu Sancto probati sunt, ad munera ecclesiae administranda vocantur c. 42: Καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους. C. 44: Ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες et paullo post ἕτεροι ἐλλόγιμοι ἄνδρες.

Hinc apparet, penes presbyteros fuisse primam quidem ecclesiae gubernationem. Illud autem accuratius definiri nequit, ad quasnam res pertinuerit illa gubernandi potestas aut quaenam singula jura et officia presbyterorum fuerint in hoc munere fungendo. Videtur tamen presbyteris commissa fuisse imprimis praefectura morum. Sic illi qui continentia sua nimis gloriabantur, insolentiam illam missam facere et presbyteris se subjicere jubentur. C. 38: Ὁ ἁγνὸς ἐν τῇ σαρκὶ . . .[1]) καὶ μὴ ἀλαζονευέσθω, γινώσ[κων ὅτι ἕτ]ερός ἐστιν ὁ ἐπιχορηγῶν [αὐτῷ] τὴν ἐγκράτειαν. Cum his denuo comparasse juvabit quae ab initio ejusdem capitis praecipiuntur: Ὑποτασσέσθ[ω] ἕκαστος τῷ πλησίον αὐτοῦ, καθὼ[ς] καὶ ἐτέθη ἐν τῷ χαρίσματι αὐτοῦ. Similiter legimus c. 48: Ἤτω τις . . . ἁγνὸς ἐν ἔργοις· τοσούτῳ γὰρ μᾶλλον ταπεινοφρονεῖν ὀφείλει, ὅσῳ δοκεῖ μᾶλλον μείζων εἶναι. Fuerunt igitur in ecclesia qui ob continentiae donum quod ipsis esset concreditum, super presbyteros sese extollerent eosque justis honoribus persequi nollent. Hi autem admonentur a Clemente ut presbyteris se subjiciant, seque emendari et castigari patiantur, superbia ista qua inflati erant deposita c. 57: Ὑμεῖς οὖν οἱ τὴν καταβολὴν [τῆς] στάσεως ποιήσαντες, ὑποτ[άγη]τε τοῖς πρεσβυτέροις καὶ πα[ιδεύ]θητε εἰς μετάνοιαν, κάμψαν[τες] τὰ γόνατα τῆς καρδίας ὑμῶν. Μάθετε ὑποτάσσεσθαι, ἀποθέμενοι τὴν ἀλαζόνα καὶ ὑπερήφανον τῆς γλώσσης ὑμῶν αὐθάδ[ειαν]· ἄμεινον γάρ ἐστιν ὑμῖν, [ἐν] τῷ ποιμνίῳ τοῦ Χριστοῦ μικροὺς καὶ ἐλλογίμους εὑρεθῆναι, ἢ καθ᾿ ὑπεροχὴν δοκοῦντας ἐκριφῆναι ἐλπίδος αὐτοῦ. Cum his verbis conferas locum aliquem qui in genuina Ignatii epistola quam ad Polycarpum scripsit, reperitur: Εἴ τις δύναται ἐν ἁγνείᾳ μένειν εἰς τιμὴν τῆς σαρκὸς τοῦ κυρίου, ἐν ἀκαυχησίᾳ μενέτω· ἐὰν καυχήσηται, ἀπώλετο· καὶ ἐὰν γνωσθῇ

[1]) «Membrana lacera spatium forsitan trium aut quattuor literarum post σαρκὶ linquit» Jacobson.

πλὴν τοῦ ἐπισκόπου, ἔφθαρται (c. 5). In hoc quoque loco nimia istorum arrogantia reprehenditur, qui continentiae laudem prae se ferebant; quod autem Ignatius vetat istos πλὴν τοῦ ἐπισκόπου γνωσθῆναι, id intelligendum est sic, ut episcopi esse doceatur examinare, num continentiae donum quo isti gloriabantur divinitus iis concessum, an vero etiam ob nimiam honoris cupiditatem fictum sit simulatumque. Atque idem illud de Clementis epistola videtur statuendum esse. Fuerat igitur presbyterorum potissimum, ejusmodi hominum animos diligenter tentare, ita ut cognosceretur num verum ac genuinum esset illud χάρισμα necne. Isti vero, quum presbyterorum auctoritati se submittere nollent, etiam atque etiam a Clemente ad debitam obedientiam presbyteris praestandam monentur. Presbyteris autem potissimum curae fuisse id, quod δοκιμάζειν τὰ πνευματικὰ appellabant, intelligi licet ex loco c. 44: Καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. Τοὺς οὖν καταστα θέντας ὑπ' ἐκείνων ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν ... οὐ δικαίως νομίζομεν ἀπαβαλέσθαι τῆς λειτουργίας. Ipsi igitur presbyteri successores sibi elegerunt eos, quos idoneos cognoverant ad ejusmodi munus administrandum.

Sed presbyteri non solum ad ecclesiam gubernandam constituti erant, sed etiam interiori quadam divinae veritatis cognitione excelluisse dicuntur. Cfr. c. 3: Οὕτως ἐπηγέρθησαν οἱ ἄτιμοι ἐπὶ τοὺς ἐντίμους, οἱ ἄδοξοι ἐπὶ τοὺς ἐνδόξους, οἱ ἄφρονες ἐπὶ τοὺς φρονίμους, οἱ νέοι ἐπὶ τοὺς πρεσβυτέρους. Quid vero de presbyterorum docendi officio Clemens statuerit, hinc non satis intelligitur. Videtur sane illâ ipsâ qua imbuti erant interiore Christianae veritatis notitiâ verisimile reddi, presbyteros hoc quoque χάρισμα τῆς γνώσεως in communem ecclesiae usum quum maxime contulisse. Ad hoc in epistola quoque ad Hebraeos data qua Clementem usum esse constat, οἱ ἡγούμενοι simul doctorum munere functi esse dicuntur [1]). Sed lubenter confiteor, hinc non effici, ut ipsum presbyterorum munus ad fratrum fidem confirmandam vel emendandam pertinuisse credatur.

Primum autem ac principale presbyterorum officium

[1]) XIII, 7: Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ.

in sacramentis administrandis versabatur. Quae quidem res quum totius doctrinae quam Clemens de munere ecclesiastico proposuit caput sit, paullo accuratius eam disquirere placet. Proficiscimur a loco quodam capitis 44, ubi leguntur haec: Ἁμαρτία γὰρ οὐ μικρὰ ἡμῖν ἔσται, ἐὰν τοὺς ἀμέμπτως καὶ ὁσίως προσενεγκόντας τὰ δῶρα, τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλωμεν. Quod presbyteri hoc loco τὰ δῶρα προσφέρειν dicuntur id ad coenam Domini referendum est. Nimirum τὰ δῶρα προσφέρειν locutio LXX interpretibus usitatissima ex V. T. cultu explicanda est. Discernebant autem inter δῶρα vel προσφορὰς (מְנָחוֹת Gen. XXXII, 13. 18; XXXIII, 10 extr. vel קָרְבָּנִים Lev. I, 2. 3; II, 1; III, 6) sacrificia incruenta et θυσίας (זְבָחִים) sacrificia cruenta vel hostias. Sacrificia incruenta libis potissimum consistebant, i. e. pane ex farina triticea cocta (לֶחֶם). Propterea Hebraeorum לֶחֶם a LXX interpretibus saepenumero per δῶρα translatum est (Lev. XXI, 6. 8. 16. 21. 22; XXII, 25. Num. XXVIII, 24). Offerebantur autem liba tum in sacrificiis propitiatoriis (עֹלוֹת) tum in sacrificiis gratiae (שְׁלָמִים)[1].

[1]) De sacrificiis propitiatoriis cogitandum est, si in epistola ad Hebraeos data pontifex maximus dicitur δῶρά τε καὶ θυσίας προσφέρειν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν V, 1. cfr. VIII, 3. 4 extr. In sacrificiis enim expiatoriis θυσίαι quidem, nec vero δῶρα offerebantur. Ceterum in transcursu notandum est, sacrificia propitiatoria, licet et ipsa pro peccatis oblata sint, non permiscenda esse cum sacrificiis expiatoriis. Illa ὁλόκαυστα (ὁλοκαυτώματα) brandopfer appellabantur, propterea quod carnes et liba tota concremabantur in ara; ac nobilissimum eorum genus erat sacrificium quotidianum, עוֹלַת־הַתָּמִיד θυσία vel ὁλοκαύτωμα ἐνδελεχισμοῦ (cfr. Hebr. X, 2 θυσίαι ἃς ἀναφέρουσιν εἰς τὸ διηνεκές); horum duplex genus fuit, אָשָׁם θυσία περὶ πλημμελίας (schuldopfer) et חַטָּאת θυσία περὶ ἁμαρτίας (sündopfer). A sacrificiis et propitiatoriis et expiatoriis denique distinguuntur sacrificia quae ad gratiam referendam instituebantur (שְׁלָמִים, εἰρηνική, σωτήριον, dankopfer) quae aut ex votis suscepta erant (εὐχή, θυσία εὐχῆς נֶדֶר) aut voluntaria (ἑκούσιον, נְדָבָה). Huc pertinebant primitiae panum, quae diebus Pentecostalibus offerebantur. Quod autem LXX interpretes שְׁלָמִים Hebraeorum per σωτήρια vel εἰρηνικαὶ (pacifica Vulgatae versionis) reddunt, id ex falso Hebraicae vocis intellectu explicandum est. — Tria igitur fuerunt sacrificiorum genera (cfr. Philo Opp. II, 240 ὁλόκαυστα, σωτήρια et τὰ περὶ ἁμαρτίας) quorum cujusque diversae erant species. Hinc intelliguntur etiam quae apud Clementem leguntur c. 41: Οὐ πανταχοῦ, ἀδελφοί, προσφέρονται θυσίαι ἐνδελεχισμοῦ, ἢ εὐχῶν, ἢ περὶ ἁμαρτίας καὶ πλημμελίας. Sacrificiorum enim quae propitiatoria vocantur nobilissima tantum species affertur; atque simili ratione pro sacrificiis gratiae ea sacrificia quae ex votis fiunt commemorantur.

Pars oblationum sacerdotum erat, pars ei qui sacra facienda curaverat reddebatur, ad coenam solemnem cnm propinquis et amicis celebrandam. Hinc intelligitur, quonam modo factum sit, ut τὰ δῶρα προσφέρειν ad coenam Domini referretur. Dona sunt panes cum vino a Christianis porrecti; quibus utebantur tum ad sacramentum administrandum, tum ad coenas communes quas τῶν ἀγαπῶν nomine designabant (Jud. 12) celebrandas pauperesque sublevandos, tum vero etiam ut videtur ad ecclesiae magistratus sustentandos. Cfr. 1 Cor. XI, 20 sqq. Act. II, 42. Hebr. XIII, 16. — Tertull. apol. 39. Cypr. ep. 28. 31. — Ign. Smyrn. 7: Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν... οἱ οὖν ἀντιλέγοντες τῇ δωρεᾷ τοῦ θεοῦ συζητοῦντες ἀποθνήσκουσιν. Constt. App. II, 25: Αἱ τότε ἀπαρχαὶ καὶ δεκάται καὶ ἀφαιρέματα καὶ δῶρα, νῦν προσφοραὶ αἱ διὰ τῶν ὁσίων ἐπισκόπων προσφερόμεναι κυρίῳ τῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν ἀποθανόντος. II, 59: Θυσίας ἀναφορὰ καὶ τροφῆς ἱερᾶς δωρεά. VIII, 13: Ἔτι καὶ ἔτι δεηθῶμεν τοῦ θεοῦ διὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ ὑπὲρ τοῦ δώρου τοῦ προσκομισθέντος κυρίῳ τῷ θεῷ. Putabatur igitur donorum oblatio sacrificium esse referendae gratiae[1]); cfr. Justin. Tryph. 41: Περὶ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ὑμῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν, τουτέστι τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς εὐχαριστίας κτλ. Iren. IV, 18. 1: *Ecclesiae oblatio quam Dominus docuit offerri in universo mundo purum sacrificium reputatum est apud Deum.* Duo igitur discernenda sunt sacrificia: alterum sacrificium piaculare, ab uno Christo morte sua semel perpetratum; alterum sacrificium gratiae, in pane et vino offerendo conspicuum. Quibus accessit etiam tertium. Nimirnm quum certum quoddam ut videtur genus τοῦ σωτηρίου appellaretur θυσία αἰνέσεως (זֶבַח הַתּוֹדָה, lobopfer), idem nomen etiam ad preces translatum est, imprimis ad eas quae in coena Domini offerebantur tum ad grati animi pietatem contestandam et panem vinumque consecrandum (εὐχαριστία, εὐλογία), tum ad Deum implorandum, ut panis et vini manducationem in salutem Christianorum converteret (δεήσεις, προσευχαί); cfr. Hebr. XIII, 15. Apoc.

[1]) Scripsit de hac re subtilius *Höfling*, Die Lehre der ältesten Kirche vom Opfer (Erlangen, 1851).

V, 8. Constt. App. II, 25: Αἱ τότε θυσίαι, νῦν εὐχαὶ καὶ δεήσεις καὶ εὐχαριστίαι. Just. Tryph. 117: ὅτι μὲν οὖν καὶ εὐχαριστίαι, ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι, τέλειαι μόναι καὶ εὐάρεστοί εἰσι τῷ θεῷ θυσίαι, καὶ αὐτός φημι [1]). Sic effectum est, ut jam primis ecclesiae temporibus ipsa coena Domini vel εὐχαριστία Pseudoign. Smyrn. 7. 8. Philad. 4. cfr. Eph. 5 (προσευχή), vel δωρεά (Pseudoign. Smyrn. 7. Constt. App. II, 59) appellata sit.

Jam quod presbyteri apud Clementem τὰ δῶρα προσφέρειν dicuntur, id ad certum illud officium (λειτουργία) spectat, quo presbyteri in coena Domini fungebantur. Locutio enim τὰ δῶρα προσφέρειν apud LXX interpretes quum sensu generaliore de omnibus omnino dicatur qui sacra facienda curarent, tum imprimis de sacerdotum officio dictum est qui libando et cremando dona et hostias Deo offerebant (δῶρα καὶ θυσίας θεῷ προσήνεγκον). Id ipsum transfertur ad Christianorum presbyteros sic, ut hi quoque dona Deo offerre dicantur, dona scilicet a Christianis ipsis porrecta consecrando, ac solemnes preces pro fidelium salute faciendo. Sic autem presbyterorum munere utrumque conjunctum est sacrificium: illud dico quod in ipsis panibus ad coenam Domini consecrandis cernebatur, et illud quod in precibus gratibusque deo offerendis constabat.

Apparet igitur, presbyterorum munus ad V. T. sacerdotum similitudinem conformatum esse. Atque hoc illud est quod in capitibus 40 et 41 diligenter a Clemente exponitur. Versantur enim duo haec capita tota in eo, ut ordinem in V. T. sacrificiis observatum typum ac simulacrum Coenae Domini esse ostendatur. Itaque ab initio capitis 40 Christiani utpote in interiora divinae γνώσεως penetralia ingressi omnia quae Dominus statutis temporibus peragenda mandaverit ordine facere jubentur. Quibus adduntur haec: Τάς τε προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι, καὶ οὐκ εἰκῇ ἢ ἀτάκτως ἐκέλευσεν γίνεσθαι, ἀλλ' ὡρισμένοις καιροῖς καὶ ὥραις. Ποῦ τε καὶ διὰ τίνων ἐπιτελεῖσθαι θέλει, αὐτὸς ὥρισεν τῇ ὑπερτάτῃ αὐτοῦ βουλήσει, ἵν' ὁσίως πάντα τὰ γινόμενα ἐν εὐδοκήσει εὐπρόσδεκτα εἴη τῷ θελήματι αὐτοῦ. Οἱ οὖν τοῖς προστεταγμένοις καιροῖς ποιοῦντες τὰς προσφορὰς αὐτῶν, εὐπρόσδεκτοί τε καὶ μακάριοι· τοῖς γὰρ νομίμοις τοῦ δεσπότου ἀκολου-

---

[1]) De coenae domini ritu deque precibus solemnibus uberius egerunt Just. Apol. I, 85. Iren. fragm. II. ed. Pfaffii.

ϑοῦντες οὐ διαμαρτάνουσιν. Jam sequuntur verba illa jam supra in medium a nobis prolata: Τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσίν, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ λευΐταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται· ὁ λαϊκὸς ἄνϑρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται. Quae si quis ad V. T. tantum ordinem referre velit, is ita statuere vetatur iis quae statim adduntur (c. 41): Ἕκαστος ὑμῶν ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω ϑεῷ, ἐν ἀγαϑῇ συνειδήσει ὑπάρχων, μὴ παρεκβαίνων τὸν ὡρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτοῦ κανόνα, ἐν σεμνότητι [1]. Veteris igitur Foederis ordo typus est et simulacrum novae Christianorum hierarchiae. Deinde docetur, sacrificia Hierosolymae tantum, nec ullo alio loco nisi in ara sacrifica fieri debere, summi autem sacerdotis et ministrorum ante commemoratorum (i. e. sacerdotum et Levitarum: laïci enim homines non erant ex numero τῶν λειτουργῶν) officium esse, dona allata perspicere et num quid maculae donis adspersum sit tentare. Eos autem, qui contra voluntatem Divinam aliquid faciant, mortis supplicio puniri. His denique adduntur haec: Ὁρᾶτε ἀδελφοὶ ὅσῳ πλείονος κατηξιώϑημεν γνώσεως, τοσούτῳ μᾶλλον ὑποκείμεϑα κινδύνῳ, verba simplicissima sane, licet ab omnibus fere interpretibus perperam intellecta sint. Nimirum γνῶσις pertinet ad Divinae voluntatis notitiam, ex Veteris Foederis typo hauriendam; quae quidem notitia quum etiam notitia poenae sit, iis qui ordinem divinum violaverint impositae, eo periculosior dicitur esse, quo quis accuratius mentem suam divina voluntate imbuerit. Pertinent igitur hae minae ad eos, qui licet interiorem sapientiam ostentarent, presbyteris tamen se subjicere nollent; quod fecerunt sane imprudentissime, quandoquidem ob hanc ipsam sapientiam qua gloriabantur etiam intelligere debuerunt, quid poenarum Deus iis qui presbyteros de loco suo dejicerent minitatus esset, ideoque ne ignorantiae quidem excusatione uti potuerunt.

Ex his quae exposuimus intelligitur tribus potissimum in rebus Hebraeorum sacrificia typum esse et umbram coenae Domini. Primum quod certis statutisque temporibus, deinde quod certo quodam loco, postremo quod a certis quibusdam viris celebrabantur. Cle-

[1]) *Gundert*, l. c. p. 47 recte quidem εὐχαριστεῖν verbum ad coenam Domini referendum intelligit, sed verba ἐν ἀγαϑῇ συνειδήσει ex Paulino loco 1 Cor. XI, 28 sqq. explicans, omnia perturbat. Satis perspicue ipse Clemens verba interpretatus est iis quae statim adduntur μὴ παρεκβαίνων κτλ.

mentis igitur aetate eucharistia jam certis diebus ac temporibus celebrata est, neque solum die solis vel dominica quae vocatur (Barn. 15. Ign. Magn. 9), sed ut ex ipso Veteris Foederis typo apparere videtur, etiam diebus festis Paschalibus necnon Pentecostalibus [1]). De loco quo eucharistia celebrabatur notandum est, eum non ex singulorum Christianorum arbitrio pependisse: convenire igitur debuerunt Christiani si Clementem audis, in una eademque quae ad sacra eorum solemnia constituta erat domo (i. e. fortasse in Domo presbyteri cujusdam); dona autem, quibus utebantur in coena, apponi debuerunt in certa quadam tabula, quae vicem τοῦ θυσιαστηρίου praestabat [2]).

Plurimum autem ponderis Clemens tribuit ei rei, quod coena Domini in veterum sacrificiorum similitudinem a certis quibusdam viris celebraretur. Atque hoc illud est, quod clarissimo illo quem supra exscripsimus capitis 40 loco uberius exponitur τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσὶν κτλ. Summus episcopus est Christus, sacerdotes presbyteri sunt, Levitae diaconi, laïci reliqua Christianorum multitudo. Habet igitur quisque certum quoddam officium in coena sacra administrandum, divinitus ipsi mandatum, et nefas est, officii sui terminos transsilire. Quae quidem officia τῶν λειτουργιῶν nomine signantur c. 40. 41. 43. 44 [3]).

Quaenam autem sunt singula illa officia Christo, presbyteris, diaconis, laïcis concredita? Christi munus cernitur in eo quod

---

[1]) Cfr. quae contra *Hilgenfeldum* disputavi in libro meo: Die paulin. Rechtfertigungslehre, p. 135 sqq. not.

[2]) Const. App. VIII, 12. cfr. 1 Cor. X, 21.

[3]) Λειτουργία apud LXX interpretes idem declarat quod Hebraeorum עֲבֹדָה et pertinet proprie ad ministeria Levitarum Num. III, 6. cfr. 31; IV, 2. 9. 12. 23 extr., deinde vero etiam ad ipsorum sacerdotum munera, ita ut λειτουργεῖν fere idem sit quod ἱερεύειν Joël I, 9. 13; II, 17 extr. Hinc translata est vox ad coenam Domini, praecipue ad episcoporum et diaconorum officia. Generaliori quodam sensu accipienda est Ps. CII, 21; CIII, 4 ubi λειτουργοὶ, λειτουργικαὶ δυνάμεις commemorantur (מְשָׁרְתִים). Quod imitatus Clemens etiam ventis λειτουργίαν aliquam tribuit (c. 21); significat enim per vocem τῆς λειτουργίας cujusvis generis officium, ex Divina voluntate alicui concessum. Unde fit ut etiam Noë et qui praeter illum poenitentiae gratiam olim hominibus obtulerunt λειτουργοὶ appellentur c. 8. 9. Quod autem angeli capite 34 Deo λειτουργεῖν dicuntur, id fortasse strictiori sensu accipiendum est. Cernitur enim haec angelorum λειτουργία in eo, quod clarissimis Jesaiae verbis ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαβαὼθ, πλήρης πᾶσα ἡ κτίσις τῆς δόξης

dicitur ἀρχιερεὺς τῶν προσφορῶν ἡμῶν c. 36. Est igitur Christus precum et oblationum quas in coena sacra faciunt fideles, interpres coram Deo ac deprecator, efficitque, ut preces illae ratae fiant, dona autem oblata ad animorum salutem promovendam valeant. Caveas enim, ne hac in re de morte expiatoria quam passus est Christus cogites. Haec enim sacrificia, quorum mentio fit, ad similitudinem τῶν σωτηρίων i. e. sacrificiorum gratiae instituta sunt, quae cum sacrificiis expiatoriis nullo pacto confundere debes. Quod confirmatur ipsa τοῦ σωτηρίου voce, quae capite 36 ad Christum relata est: leguntur enim haec: Τὸ σωτήριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἀρχιερέα τῶν προσφορῶν ἡμῶν. Quod autem ipse Christus appellatus est σωτήριον, id non hujus loci est uberius explicare.

Presbyterorum vel episcoporum λειτουργία non differt a munere sacerdotum: presbyterorum igitur erat, dona et sacrificia Deo offerre. Ipsa igitur sacramenti administratio, sensu strictissimo dicta, neque ad diaconos, neque ad laïcos, sed ad unos presbyteros pertinebat. Presbyteris enim certus quidam locus (τόπος) prope aram sacrificam assignatus erat.

Diaconorum officia conveniebant cum officiis Levitarum: non ipsi sacra fecerunt, sed ministerio suo (διακονίᾳ) presbyteros adjuvabant. Cernebatur autem hoc ministerium ut aliunde scimus in eo, quod diaconi tum dona a Christianis comportata colligerent collectaque presbyteris qui ad aram stabant porrigerent (Constt. App. VIII, 12: Οἱ διάκονοι προσαγέτωσαν τὰ δῶρα τῷ ἐπισκόπῳ πρὸς τὸ θυσιαστήριον), tum panem et vinum post consecrationem factam singulis singulatim manducandum bibendumque distribuerent (Just. Ap. I, 85: Ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσιν) [1]).

αὐτοῦ Dei laudes extollere narrantur. Hoc autem si quid video ad sacrificium laudis (θυσίαν τῆς αἰνέσεως) spectat, significatione facta antiquissimae illius Christianorum consuetudine, qua in coena sacra post consecrationem panis et vini factam Jesaiae illa verba canere solent.

[1]) Omnia igitur pervertit *Gundert*, qui p. 57 sqq. opinatus est presbyterorum nomine et presbyteros sensu strictiori sic dictos sive episcopos et diaconos comprehendi. Quae quidem opinio quum per se vix probabilis esse videatur, tum prorsus refutatur verbis capitis 44: ἁμαρτία γὰρ οὐ μικρὰ

Laïcis denique hominibus idem imperatum erat quod populo Israelitarum: interfuerunt sacrificiis, episcopis de suis bonis ad coenam celebrandam impertientes, solemnes episcoporum grates precesque voce sua confirmantes [1]), panem denique et vinum a diaconis ministratum manducantes bibentesque.

ἡμῖν ἔσται, ἐὰν τοὺς ἀμέμπτως καὶ ὁσίως προσενεγκόντας τὰ δῶρα τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλωμεν. Μακάριοι οἱ προοδοιπορήσαντες πρεσβύτεροι κτλ. Presbyteri, non diaconi dona offere dicuntur; diaconorum enim non erat, dona offerre. Hinc autem efficitur, ne nomen quidem presbyterorum recte ad diaconos adhiberi posse. Eos autem qui hoc loco τὰ δῶρα προσφέρεν dicuntur eosdem esse atque illos quorum λειτουργία ab initio capitis laudibus effertur, nullam habet dubitationem. Ergo Clemens quum dicat Κατέστησαν τοὺς προειρημένους καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν hisque verbis statim addat τοὺς οὖν . . . λειτουργήσαντας ἀμέμπτως τῷ ποιμνίῳ τοῦ Χριστοῦ μετὰ ταπεινοφροσύνης ἡσύχως καὶ ἀβαναύσως . . . τούτους οὐ δικαίως νομίζομεν ἀποβαλέσθαι τῆς λειτουργίας, non de episcopis et diaconis loquitur, sed de unis episcopis sive presbyteris. Presbyterorum enim sive episcoporum, neque vero diaconorum λειτουργίαι intelligendae sunt. Hinc porro apparet, ne id quidem, unde *Gunderti* rationes profectae sunt, probandum esse, scilicet quod ille τοὺς προειρημένους ad episcopos et diaconos simul referendum esse putat. Licet igitur capite 42 ubi muneris ecclesiastici origines exponuntur, et episcopi et diaconi commemorati sint, tamen Clemens capite 44 non nisi de episcopis cogitat, diaconis silentio praetermissis. Accedit, quod praeter caput 42 diaconorum semel tantum apud Clementem mentio fit, illo scilicet capitis 41 loco quo singula cujusque ordinis officia accuratius exponuntur. Quid? num forte fortuna id accidisse censebimus? An vero haec omnia quae de obsequio magistratibus (τοῖς ἡγουμένοις) debito in medium proferuntur simul de diaconis dicta esse credideris, non tam ad regendum, quam ad ministrandum constitutis? Nimirum si quid video seditio ista praecipue in episcopos sive presbyteros facta est. Num autem diaconi quoque de munere suo dejecti fuerint necne, intelligi nequit: hoc unum teneas, omnino non opus fuisse diaconorum auctoritatem de industria sustentare: sive quod nemo illos de munere amovere studeret, sive quod presbyterorum potestate restituta, etiam diaconorum auctoritatem denuo firmatum iri credibile esset. — Ceterum in transcursu monemus, ne ipsum quidem presbyterorum nomen cum iis quae de diaconorum officiis audimus conciliari posse. Seniores ad ecclesiam regendam constituti sunt; eos autem qui in coenis ministrarent aetate provectiores fuisse, neque credibile est neque ullis testimoniis comprobatur. Imo ceteri primaevae ecclesiae scriptores cautissime inter presbyteros et diaconos distinguunt. Ign. ad Polyc. 5. Polyc. ad Philipp. 5. Herm. Past. Vis. 2, 4. cfr. Sim. 9, 27.

[1]) 1 Cor. XIV, 16. Justin. Ap. I, 85: Οὗ (τοῦ προεστῶτος) συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων ἀμήν.

Apparet igitur apud Clementem prima fundamenta posita esse ejus hierarchiae, quae postea in catholicam ecclesiam introducitur. Licet episcopum inter et presbyteros nondum distinctum sit, tamen ordinis ecclesiastici origo ab ipsius Dei voluntate repetitur. Moysis enim praecepta quae de sacerdotibus Levitisque data sunt, τυπικῶς ad Christianam ecclesiam pertinent: differunt igitur presbyteri et diaconi ordinis sui praestantia ac potestate ab reliquo Christianorum populo, differunt presbyteri etiam a diaconis auctoritatis gravitate, potestatis amplitudine, officiorum sanctitate. Elucet autem praeclara illa presbyterorum dignitas in hoc ipso quod penes illos est sacramentorum administratio.

Atque in hac ipsa sacramentorum administratione propria etiam et peculiaris presbyterorum potestas continetur. Nam quod presbyterorum munus etiam ad ecclesiam gubernandam ac morum disciplinam exercendam spectasse supra exposuimus, id non hanc vim habet, ut reliqua ecclesia ab his rebus aliena fuisse existimetur. Imo sunt quaedam documenta, quibus luculenter docetur, Clementis tempore ecclesiam in iis quae ad Christianorum reipublicae gubernandae formam pertinerent, haud ita multum de pristino statu declinavisse. Sic plebs consensu suo presbyteros recenter electos sanxit c. 44: Τοὺς οὖν κατασταθέντας ὑπ' ἐκείνων ἢ μεταξὺ ὑπ' ἄλλων ἐλλογίμων ἀνδρῶν συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης [1]. Hinc apparet, etiam τὴν τῶν πνευμάτων διάκρισιν non proprium fuisse presbyterorum munus; erat enim liberum Spiritus Sancti donum cfr. 48: Ἤτω τις πιστὸς, ἤτω δυνατὸς γνῶσιν ἐξειπεῖν, ἤτω σοφὸς ἐν διακρίσει λόγων, ἤτω ἁγνὸς ἐν ἔργοις, τοσούτῳ γὰρ μᾶλλον ταπεινοφρονεῖν ὀφείλει, ὅσῳ δοκεῖ μᾶλλον μείζων εἶναι. Addas quod hoc ipso loco etiam potentia quae in enarranda cognitione interiori constat, non solis presbyteris attributa est. Hinc efficitur, ut etiam docendi munere praeter presbyteros illos omnes functos esse intelli-

[1]) Quod *Gundert* l. c. 59 Clementem toti Christianorum coetui jus presbyterorum de munere removendorum tacite concessisse censet, id equidem non mordicus tenuerim. Nam si quis presbyterorum inhonestius se gesserit, iidem certe eum in jus vocare debuerunt, qui sacerdotium ei detulerant. Fieri autem posse, ut totum simul presbyterorum collegium rite vocatum ac Spiritu Sancto praeditum rerum male gestarum convinceretur, nunquam certe sibi persuasisset Clemens.

gamus, qui interiorem rerum divinarum intellectum a Spiritu Sancto acceperant. Postremo ne potestas quidem quae vocatur clavium tota ad episcopos collata erat. Etenim si quis in peccatum aliquod inciderit, totius ecclesiae est, non solum Deum supplicibus verbis orare, ut iste in poenitentiam mutetur, sed etiam castigationibus eum afficere et quid piaculi ab eo exigendum sit constituere. Quod quidem intelligetur ex c. 54: Εἰ δι' ἐμὲ στάσις καὶ ἔρις καὶ σχίσματα, ἐκχωρῶ, ἄπειμι οὗ ἐὰν βούλησϑε καὶ ποιῶ τὰ προστασσόμενα ὑπὸ τοῦ πλήϑους; cfr. c. 56: Καὶ ἡμεῖς οὖν ἐντύχωμεν περὶ τῶν ἔν τινι παραπτώματι ὑπαρχόντων, ὅπως δοϑῇ αὐτοῖς ἐπιείκεια καὶ ταπεινοφροσύνη, εἰς τὸ εἶξαι αὐτοὺς μὴ ἡμῖν ἀλλὰ τῷ ϑελήματι τοῦ ϑεοῦ. Οὕτως γὰρ ἔσται αὐτοῖς ἔγκαρπος καὶ τελεία ἡ πρὸς τὸν ϑεὸν καὶ τοὺς ἁγίους μετ' οἰκτιρμῶν μνεία [1]).

---

[1]) *Hilgenfeld*, l. c. 90, not. 5 (assentiente *Gundert*, Zeitschr. für luther. Theol., 1854, 479), verba difficillima interpretatur sic, ut τοὺς ἁγίους ad ecclesiam referat: «Die fürbitte um die wiederaufnahme der gefallenen wird noch an Gott und an die heiligen, also an die gemeinde gerichtet.» Quod fieri nequit. Deprecatio enim illa (ἡ μετ' οἰκτιρμῶν μνεία) commune est totius ecclesiae officium. Ergo si vera esset *Hilgenfeldi* interpretatio, ecclesia semet ipsam imploravisset. Quae quum ita sint, non possumus non de Sanctorum invocatione quae vocatur cogitare. Comparanda sunt quae leguntur sub finem cap. 45: [O]ἱ δὲ ὑπομένοντες ἐν πεποιϑήσει δόξαν καὶ τιμὴν ἐκληρονόμησαν, ἐπήρϑησάν τε καὶ ἔπαφροι ἐγένοντο ἀπὸ τοῦ ϑεοῦ ἐν τῷ μνημοσύνῳ αὐτῶν, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. Quibus statim adduntur haec (c. 46) τοιούτοις οὖν ὑποδείγμασι κολληϑῆναι καὶ ἡμᾶς δεῖ, ἀδελφοί. Γέγραπται γάρ· «κολλᾶσϑε τοῖς ἁγίοις, ὅτι οἱ κολλώμενοι αὐτοῖς ἁγιασϑήσονται.» Sancti igitur appellantur ii qui ob nomen Domini quod constanter profitebantur cruciatibus ac morte affecti sunt; ac videtur sententia verborum prope accedere ad ea, quae in Apocalypsi Joannea de summis Sanctornm honoribus praedicantur. Sanctos autem in extremo judicio judicum vice functuros esse quum vulgo ut videtur Christiani sibi persuasissent (cfr. 1 Cor. VI, 2; Apoc. XX, 4), non prorsus incredibile est, jam Clementis tempore illos oratos esse, ut mortis supplicium ab hominibus qui in peccatum incidissent averterent eosque auxilio suo adjuvarent. Conferri potest etiam locus aliquis qui apud *Philonem* reperitur Opp. ed Mang., II, 436: Δευτέρῳ δὲ (sc. παρακλήτῳ τῶν πρὸς τὸν πατέρα καταλλαγῶν, quo homines utuntur), τῇ τῶν ἀρχηγετῶν τοῦ ἔϑνους ὁσιότητι· ὅτι ταῖς ἀφειμέναις σωμάτων ψυχαῖς ἄπλαστον καὶ γυμνὴν ἐπιδεικνυμέναις πρὸς τὸν ἄρχοντα ϑεραπείαν τὰς ὑπὲρ υἱῶν καὶ ϑυγατέρων ἱκετείας οὐκ ἀτελεῖς εἰώϑασι ποιεῖσϑαι· γέρας αὐτοῖς παρέχοντος τοῦ πατρὸς τὸ ἐπήκοον ἐν εὐχαῖς. Ibi quum V. T. Sancti pro mortuorum animabus intercedere dicantur, ut Deus benevole eas accipiat, haud procul abesse videtur Philo ab ipsa Sanctorum invocatione. Statuere igitur possumus, eandem doctrinam etiam a Clementis

Αναλάβωμεν παιδείαν, ἐφ' ᾗ οὐδεὶς ὀφείλει ἀγανακτεῖν, ἀγαπητοί. Ἡ νουθεσία, ἣν ποιούμεθα εἰς ἀλλήλους καλή ἐστιν καὶ ὑπεράγαν ὠφέλιμος· κολλᾷ γὰρ ἡμᾶς τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ.

Ac fieri certe non potuit, quin eo tempore quo Spiritus Sancti dona (χαρίσματα) in ecclesia adhuc florerent, Christianorum hominum libertas angustioribus terminis circumscriberetur: super omnes enim Christianos unus Spiritus gratiae (ἓν πνεῦμα τῆς χάριτος) effusus est (c. 46); singuli autem sibi invicem obtemperare debent, quemadmodum quisque spiritualibus donis praeditus est, c. 30. 38 (cfr. quae supra de presbyterorum gubernandi munere exposuimus) [1]. Propria igitur presbyterorum dignitas neque in docendi munere neque in praefectura morum cernebatur: utrumque enim presbyteris cum aliis commune erat. Cernebatur illa autem in sacramentorum administratione, quae certis quibusdam viris divinitus concessa est. Reliqua igitur presbyterorum munera ex singuli cujusque indole et natura, sacramentorum administratio ex divina ordinis institutione pendet [2].

§. 2.

De lege Mosaica [3].

Clemens Romanus quam proposuit de lege Mosaica doctrinam si exponere vis, te tibi ante omnia id persuasisse decet, ut quum omnium Patrum qui vocantur Apostolicorum tum etiam Clementis placita vix intelligi posse credas, nisi simul apostolorum doctrinae rationem habueris quam accuratissimam. Nimirum reliquis apostolis Judaizantibus quum unus Paulus Christianae religionis auctoritatem ab omnibus Mosaicae legis vinculis liberaret, ingens inter priscos

sensu non alienam fuisse. Quod tamen non tam manifestum est, ut omnem me dubitationem disjecisse existimem. Quamobrem si quis illud καὶ τοὺς ἁγίους interpolatori alicui adscribere malit, equidem non obstrepuerim.

1) Cfr. *Gundert*, Zeitschrift für luther. Theologie (1854), p. 471.

2) His expositis non opus est uberius refutare *Neandri* opinionem qui (Kirchengeschichte, II, 1136, ed. II) eos epistolae locos in quibus comparatio inter V. T. sacerdotum et presbyterorum munus instituitur, ex interpolatione ortos esse censuit.

3) Cfr. *Ritschl*, Altkathol. Kirche, p. 290. *Hilgenfeld*, l. c. p. 87, 90 sqq. — *Schwegler*, Nachapostol. Zeitalter, II, 128 sqq. *Köstlin*, Zur Gesch. des Urchristentums. Theol. Jahrb. (1850), p. 247 sqq. *Gundert*, Zeitschr. für luther. Theologie (1854), p. 454 sqq.

Christianos seditio coorta est. Paulus enim legem Mosaicam per Christum abrogatam esse statuens, justitiam hominis ex legis operibus oriundam prorsus repudiavit. Ac primum quidem censuit, legem omnino non posse justificare homines, quandoquidem extrinsecus ad eos accedens imperandi tantum neque persuadendi vim haberet. Sic autem fieri non potuisse, quin plane contrarium eveniret ejus rei, quae legi esset proposita. Homines enim quum semper in vetitum ut ajunt niterentur, ipsa lege suscitari peccatum, suscitatumque homines interficere [1]). Deinde vero Paulus addidit et hoc, ut legem homines omnino non debuisse justos reddere confirmaret. Etenim quum Deus jam antequam lex lata esset, eos tantummodo, qui promissionibus divinis fidem haberent, iustos redditum iri praestitisset, divinas promissiones non posse non irritas fieri censuit, si quis ex legum operibus, neque vero ex fide promissionibus habita justus declararetur. Quod Deus autem promisisset, id semper firmum et inconcussum stare.

---

[1]) Peccatum non efficitur, sed suscitatur lege. Lex vetando efficit cognitionem rei vetitae; homines autem natura sua in vetitum niti, nemo unquam lege effici putavit. Lex utpote extrinsecus addita, homines justos reddere nequit; hoc autem non hanc vim habet, ut illa ipsa legis indole in externis mandatis conspicua, homines ad peccatum cogi credamus. Non dico legem efficere, ut homines pravam illam quae ipsis indita est cupiditatem vincere nequeant, sed illud dico, legem non efficere, ut homines illam cupiditatem vincere queant. Prima igitur causa cur lege homines justificari nequeant, ipsum peccatum est: secunda causa lex est, propterea quod peccato occasionem dedit, qua abuti potuit. Peccati ut proprium sit occasione legis data expergisci, non efficitur lege; fieri autem posse, ut peccatum lege abutatur, ex legis natura intelligitur: lex enim non impedit peccatum, sed suscitat, occasione data peccandi. Lege autem peccatum jam antea hominibus inditum non vinci ex hoc ipso apparet, quod lex non persuadendi sed imperandi vim habet. Jam vero ut homo ne tum quidem peccatum vincat, quum legem bonam et pulcram esse cognoverit (Rom. VII, 16 sqq.), duabus causis efficitur: primum quod homo mortuus sive peccato totus mancipatus est, ita ut legi omnino obtemperare nequeat, nam illud συνήδεσθαι nihil valet ad recte faciendum; deinde quod lex hominem peccato mancipatum non liberat a peccato, sed conscientiae tantum terroribus implet. Lex licet ipsa spiritualis sit, spiritualem tamen vitam non suscitat: igitur ne is quidem qui dicitur συνήδεσθαι τῷ νόμῳ, legem in succum et sanguinem convertit. Hoc autem rursus exinde fit, qnod lex jubet quidem, sed hominem peccatis submersum erigere nequit. Haec habui quae iis responderem, quae nuper contra me diputata sunt in annalibus: Liter. Centralblatt (1853), No. 48, p. 776.

Quae quum ita sint, legis hoc tantum proprium fuit, ut homines peccatis plane submersos ad suam ipsorum infirmitatem ingenue confitendam et ad unam Dei gratiam amplexandam commoveret. Legis igitur operibus nemo justus redditur coram Deo.

Quod tamen non hanc vim habet, ut Paulum ea omnia quae lege jubentur abrogavisse credamus. Verum enim vero primaria legis pars in decalogo qui vocatur continebatur: ea autem quae decalogo hominibus praecepta sunt, Paulus Apostolus nequaquam abrogavit. Imo Paulum si audis, ipsa fide demum efficitur, ut homines legem observare queant: fides enim efficax est per amorem (Gal. V, 6), amore autem tota lex impletur (Gal. V, 14). Nam quod homines lege jubentur abstinere ab adulterio, a caede, a furto, a pravis cupiditatibus et si quid aliud lege praescriptum est, ea omnia uno illo amoris mandato comprehenduntur (Rom. X, 9. Legem autem quam diçit Paulus decalogum h. l. intelligit cfr. Rom X, 8 sqq. II, 20 sqq.). Quod quum fide demum et amore efficiatur, legem fide non abolitam sed instauratam esse censebimus. Instauratur autem non ipsa lex quatenus lex est, sed instaurantur legis mandata (τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου). Externa igitur legis forma frangitur: sed ea quae lege praecipiuntur («der wesentliche inhalt des gesetzes») ipsa fide in Christo posita comprehenduntur. Sic operum legi lex fidei (Rom. III, 27), legi peccati ac mortis lex spiritus libertatis (Rom. VIII, 2) opponitur. Fide igitur legis mandata et abrogata et conservata sunt. Hoc autem ita esse, ipsa lege docetur. Lex enim ipsa vaticinata est homines non operibus sed fide justos redditum iri (Rom. III, 21; IV, 3. 6 ext.): vaticinata est igitur lex suam ipsius abrogationem (etiam Gal. II, 19): sed haec ipsa legis abrogatio legem si verum quaerimus instauravit. Atque sic demum intelliguntur quae Rom. III, 31 dicta sunt[1]). Quae licet proprie ad singulos scripturae locos referenda sint, quibus illa fidei justitiam et legis abrogationem vaticinetur, tamen lex non ideo instaurari dicitur, quia suam ipsius abrogationem vaticinetur, sed quia hoc ipso abrogationis vaticinio fidei instauratio

[1]) Liceat nobis, de hoc Paulinae doctrinae capite paulo uberius disputare. Nam quum nuper in dubium revocata sint quae in libro meo «Die paulinische Rechtfertigungslehre», p. 89 sqq. exposui (cfr. Liter. Centralbl. l. c.), facere non possum, quin ea, quatenus per loci angustias fieri potest, in clariore luce ponere coner.

continetur, quae legis mandata sponte sua ac spiritualiter implet. Christus enim mortuus est, ut peccati imperio devicto id efficeret, ut id ipsum quod lex ob peccatum perficere non potuit (i. c. τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου) spiritualiter a nobis perficiatur (Rom. VIII, 4).

Sed spiritualiter impletur lex etiam ideo, quia spiritualiter interpretanda est. Sunt enim ea quae in V. T. narrantur tanquam simulacra novi quod per Christum institutum est foederis. Sic cibus quo Israelitae in deserto vescebantur, spiritualis cibus est; aqua quam bibebant, spiritualis aqua; saxum quod eos sequebatur, spirituale saxum est (1 Cor. X, 3. 4). Haec omnia autem tanquam simulacra nostri (τύποι ἡμῶν) facta sunt (1 Cor. X, 6), ne iisdem quibus Israelitae cupiditatibus in perniciem agamur. Illis enim non nisi τυπικῶς evenerunt, scripta autem sunt revera ad nostram admonitionem (1 Cor. X, 11). Simili ratione quae de duobus filiis Abrahami leguntur, κατ' ἀλληγορίαν intelligenda sunt: pertinent autem ad duorum foederum quae Deus cum hominibus fecit discrimen, manifestumque reddunt Christianos utpote ingenuos, liberatos esse ab externarum ceremoniarum quae lege olim imponebantur jugo. Gal. IV, 21 sqq. (cfr. etiam Rom. IX, 7 sqq. Gal. III, 16 sqq.). Sic ne lex quidem quae ritualis vocatur prorsus tollitur: tollitur enim externa ejus forma, sed instauratur id, ad quod significandum ritus illi instituti sunt Rom. II, 28 sqq.; cfr. IV, 11. Col. II, 11. Sunt enim externae legis ceremoniae σκιὰ τῶν μελλόντων Col. II, 16. In hac ipsa autem re versatur γνῶσις Paulina (cfr. Rom. II, 20): omnia enim quae in lege Mosaica scripta sunt ad Christum pertinent et ad mysterium illud olim occultum nunc vero manifestatum, quo fidei justitiam omnibus hominibus per Christum paratam esse intelligimus Rom. IX, 33. 1 Cor. II, 6 sqq. Col. I, 26 sqq.; II, 1; IV, 3 extr. Quocirca ipsius Christi interior cognitio appellatur γνῶσις sive σοφία (2 Cor. II, 14; VIII, 7; cfr. 9; XI, 6. 1 Cor. I, 30. Phil. III, 8. Col. II, 2 sqq.) et licet illa γνῶσις in fide nitatur, ita ut inter utramque accuratius distingui nequeat, tamen interior rerum notitia inter χαρίσματα numeratur (1 Cor. XII, 8) et ad eos tantum pertinere dicitur qui in fide provectiores sint (οἱ τέλειοι 1 Cor. II, 6 sqq.; cfr. III, 1 sqq.).

Hinc apparet, ipsum Paulum jam illius controversiae quam ipse de lege Mosaica conflaverat minuendae initium fecisse. Nam haec ipsa allegorica ut Graeci ajunt V. T. interpretatio effecit hoc, ut

utrumque recte dici posse videretur, et abrogatam et instauratam esse legem. Sic ceremoniae quidem quibus Judaei obstricti tenebantur abrogatae sunt; ipsius autem V. T. divina auctoritas servata est. Quin interior rerum divinarum notitia tanto clarius elucebat, quo quis diligentior ac subtilior esset in allegorica illa interpretatione ad V. T. praecepta adhibenda. Sic epistola ad Hebraeos data perfectiorem divinae veritatis notitiam (τὴν τελειότητα) a poenitentia et fide tanquam Christianae religionis rudimentis accurata distinctam ad Christi cognitionem refert qui Pontifex Maximus ex ordine Melchisedeci constitutus sit (V, 10—VI, 2). Christiana religio novum foedus est, multo melius ac praestantius vetere, II, 1 sqq.; VII, 22; VIII, 6; IX, 15; XII, 24. Cujus quidem foederis hoc est proprium, ut mandata et leges Dei cordibus inscriptae sint, VIII, 7; X, 16 sqq. Itaque lex Mosaica abrogata est non quia mandata illa abrogata sint, sed quia lex per se nihil valuit ad mandata illa perficienda, VII, 18 sqq.; VIII, 3. Nimirum Christi munus Pontificale non a Mosaicae legis institutis originem duxit: exstitit enim ille Pontifex Maximus κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου, neque vero κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκίνης, VII, 16[1]. Cernitur autem legis dignitas in hoc ipso, quod melioris foederis spem introduxit, VII, 19. Veteris igitur Testamenti cardo non tam in mandatis quam in promissis vertitur, quibus fidem homines habeant oportet (cfr. IV, 2. 6; XI). Ipsa autem lex Mosaica umbra est futurorum bonorum, X, 1: tabernaculum enim V. T. manibus humanis confectum ad similitudinem tantum (κατὰ τὸν τύπον) coelestis tabernaculi expressum est Moysi in monte revelati, VIII, 2. 5; IX, 9. 11. 24. Quamobrem ministeria quoque sacerdotum ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων fiunt, VIII, 5. Totius igitur legis caput institutio erat rituum sacrificorum, quippe qui verum et aeternum sacrificium adumbrarent; reliqua autem legis praecepta quae ad ciborum ac potuum discrimina aut ad lustrationes pertinent, quum arctissime cum externis illis ritibus sacrificis cohaereant, δικαιώματα σαρκὸς appellantur quae nihil nos juvant: quamobrem haec quoque novo foedere abrogata sunt (IX, 10; XIII, 9).

In allegorica V. T. interpretatione etiam Barnabae quae vo-

---

[1]) Cfr. Paulin. Rechtfertigungslehre, p. 86.

catur epistola tota versatur. Distinguit autem auctor diligenter inter πίστιν et γνῶσιν (c. 1. 2. 4. 5). γνῶσις cognitio est mandatorum divinorum (γνῶσις τῶν δικαιωμάτων θεοῦ c. 21); cernitur autem tum in lege rituali recte intelligenda (c. 1 — 17), tum in via lucis quae vocatur ingredienda, i. e. in praeceptis quae ad mores emendandos data sunt cognoscendis (c. 18 — 21). Atque allegorica quidem V. T. interpretatio multo latius patet quam in epistola ad Hebraeos; pertinet enim non modo ad res sacrificas (c. 21), sed ad cunctam legem ritualem, cui duae potissimum res propositae sunt: primum quidem ut Christi mortem pro redemtione hominum susceptam vaticinetur (c. 5—8), deinde vero ut illam ipsam quam imperat Deus morum emendationem typis et simulacris adumbret (c. 2—4. 8—12). Sic etiam de jejuniis, de discrimine ciborum, de circumcisione, de sabbato, de templo Hierosolymitano agitur. Illud autem notatu dignum est, quid tandem rationis inter N. et V. T. intercedere credatur. Aliis enim locis tota lex Mosaica abrogatur sic, ut Christus novae legis ac novi foederis auctor esse dicatur (c. 2): impugnantur vehementer, qui Judaeorum testamentum et nostrum esse ajunt (c. 4); vetantur Christiani tanquam proselyti in Judaeorum legem incurrere (c. 3); et Christus venisse narratur ut populo Judaico propter peccatorum magnitudinem ad interitum vocato hereditatem divini regni ab illis ad Christianos homines transferret (c. 5. 14). Quin externae Judaeorum ceremoniae ne umbrae quidem sunt futurarum rerum, sed a perverso divini verbi intellectu originem traxere. Sic circumcisio nequaquam foederis obsignatio est: nam Syri quoque et Aegyptii circumcisi sunt; sed daemon aliquis impius Judaeos pellexit, ut circumcisionem 318 virorum, quorum numerus Christi crucifixi vaticinium erat, ad verbum intelligerent (c. 9). Hinc apparet, totum cultum Judaeorum tam acriter impugnari, ut illi ne praeparationis cujusdam in Christum factae vis tribuatur. Sed tantum abest ut una cum cultu Judaeorum et ipsa lex Mosaica abrogetur, ut cultu abolito lex instauretur. Nam Judaei legem Moysis propter flagitia omnino non acceperunt: fregit enim Moyses populo irascens tabulas illas aëneas quibus divina mandata inscripta erant (c. 4. 14); itaque Christus demum (morte sua) legem instauravit, legis intellectum nobis aperiens, legis promissa ad nos accommodans (c. 5. 6. 10. 14 extr.). Ritus autem et ceremoniae a Moyse institutae ad ver-

bum intelligi omnino non debuerunt: vera enim et genuina eorum interpretatio illa est, quae spiritualiter intelligit quidquid scriptum est, omnia ad Christum vitamque Christianam referendo. Sic idem ille Barnabas qui data opera id egit ut Judaeorum reprobationem et Judaicarum ceremoniarum abolitionem evinceret, ipsam Mosaicam legem denuo instaurabat: qui novam esse Christianorum religionem diserte docebat, idem Christianismum vetustissimum et ipso Judaismo vetustiorem esse ostendit. Quod non modo de promissionibus patriarchis datis (quemadmodum apud Paulum Apostolum factum esse videmus) sed de ipsa lege Mosaica intelligendum est. Sed hoc ipsum effectum est sic, ut inter cultum Judaeorum utpote ex falso legis intellectu ortum et inter verum et genuinum legis Mosaicae sensum distingueretur.

Quae quidem allegorica V. T. interpretatio licet inter Alexandrinos potissimum floreret, tamen non propria fuit Alexandrinae ecclesiae. Nimirum *Clementis* epistola etiam Romanorum ecclesiam docet eadem interpretandi ratione usam esse. Utebatur autem Clemens hac interpretatione sic, ut quid discriminis inter utriusque ecclesiae ingenium intercesserit, luculenter exinde appareat.

Alexandrinus theologus nil nisi id spectavit, ut Judaicae religionis perpetuitatem praecise negaret: quocirca omnes omnino Judaeorum ceremonias sustulit. Divina autem quibus ritus illi instituti essent mandata tollere quum neutiquam conaretur, spirituali quodam modo omnia quae scripta essent intelligenda esse censuit. Sic autem ambigua erat Barnabae sententia et in contrarias partes distrahebatur: mox omne omnino quod novam religionem cum vetere conjungebat vinculum rescindere, mox nihil quidquam discriminis inter Mosaicam et Christianam legem statuere videbatur. Altera sententia Gnosticismum, altera Ebionitismum redolebat.

Romanus theologus non ea fuit ingenii sagacitate, ut duas quae sibi invicem contradicere viderentur sententias mente sua simul complecteretur. Ad hoc omnem operam in communem ecclesiae usum conferre maluit quam interiorem quemdam rerum arcanarum intellectum ostentare.

Itaque de ratione quae inter utramque religionem intercederet, omnino nullum instituit sermonem: neutrum diserte professus est: neque abolitam neque conservatam esse Judaeorum religionem. Nimirum caute abstinens a captioso isto ac tamquam lubrico dispu-

tationis genere nihil nisi hoc spectavit Clemens, ut quid divina voluntate jussum esset, exponeret. Itaque praeceptorum Dei sexcenties, legis Mosaicae uno tantum loco mentio fit[1]); afferuntur νόμοι, νόμιμα, προστάγματα, παραγγέλματα τοῦ ϑεοῦ (de qua re infra disputabitur uberius), quibus homines Christiani obtemperare debent; nunquam autem Christiani τῷ νόμῳ sive τῷ νόμῳ Μωϋσέως se subjicere jubentur. Quod autem praecepta illa plerumque ex V. T. petuntur, aut V. T. exemplis illustrantur, id non sic intelligendum est, ut Clementem totam legem Christianis imposuisse existimemus. Verum enim vero hac ipsa in re γνῶσις Clementis versatur, cui quidem hoc propositum est, ut divina voluntas ex signis quibusdam ac typis in V. T. potissimum conspicuis illustretur. Cfr. c. 40: Προδήλων οὖν ἡμῖν ὄντων τοιούτων (i. e. quae apud Ijobum IV, 16 sqq. exhibentur) καὶ ἐγκεκυφότες εἰς τὰ βάϑη τῆς ϑείου γνώσεως, πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν, ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐ[κέλ]ευ[σε]ν κτλ. Quod igitur Lot ab Sodomitarum interitu servatus est, id hanc vim habet ut Deus manifestum (πρόδηλον) reddidisse dicatur ὅτι τοὺς ἐλπίζοντας ἐπ' αὐτὸν οὐκ ἐγκαταλείπει, τοὺς δὲ ἑτεροκλινεῖς ὑπάρχοντας εἰς κόλασιν καὶ αἰκισμὸν τίϑησιν (c. 11). Sic Loti uxor in salis statuam mutata σημεῖον ἐτέϑη, scilicet εἰς τὸ γνωστὸν εἶναι πᾶσιν, ὅτι οἱ δίψυχοι καὶ οἱ διστάζοντες περὶ τῆς τοῦ ϑεοῦ δυνάμεως εἰς κρίμα καὶ εἰς σημείωσιν πάσαις ταῖς γενεαῖς γίνονται (ibid.). Eodem modo funiculo coccineo, a Rahaba ex domo sua demisso πρόδηλον factum esse fertur ὅτι διὰ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου λύτρωσις ἔσται πᾶσιν τοῖς πιστεύουσιν καὶ ἐλπίζουσιν ἐπὶ τὸν ϑεόν (c. 12). Imprimis autem eae V. T. leges, quae ad sacerdotum ordinem et ad ritus sacrificos spectabant, ad Christianam religionem adhibentur. Etenim quomodo illae leges intelligendae sint, id iis revelatur qui in interiora divinae cognitionis penetralia descenderint (cfr. c. 40. l. c. et c. 41: Ὅσοι πλείονος κατηξιώϑημεν γνώσεως κτλ.). Existit igitur in his legibus typus et simulacrum divinae voluntatis, quae in episcoporum ac diaconorum institutione apparet. Cfr. c. 40 — 44 et quae supra exposuimus p. 38 sqq.

Clementis igitur γνῶσις multo arctius cum Pauli Apostoli et

[1]) C. 43: Τὰ ὑπὸ Μωϋσέως νενομοϑετημένα.

epistolae ad Hebraeos scriptae doctrina, quam cum γνώσει Barnabae cohaeret. Exempla et simulacra repetuntur ab historia potissimum populi Israelitarum, neque vero a ceremoniis Judaeorum spiritualiter intelligendis. De ceremoniis istis omnino nihil disputatur: nihil dicitur de jejuniis, de discrimine ciborum, de sabbato etc. Hierarchia autem ut Graeci ajunt Mosaica quum ad presbyterorum et diaconorum officia accommodatur, id nequaquam sic intelligendum est, ut una illa allegorica interpretatione verus et genuinus Scripturae sensus attingatur. Nunquam enim animum adduxit Clemens ad id ut Christianorum tantum cultum cum scriptura sacra convenire, Judaeorum autem ex pravo verbi divini intellectu natum esse demonstraret. Judaeorum cultum divinitus institutum fuisse nequaquam ut apud Barnabam fit negatur. Imo uterque cultus non ut falsa et vera ejusdem legis interpretatio, sed ut vaticinium et vaticinii exitus distinguuntur. Vaticinia autem V. T. quum ad Christum omnia spectarent, Christus etiam auctor est divinae cognitionis c. 36 ... Διὰ τούτου ἡ ἀσύνετος καὶ ἐσκοτωμένη διάνοια ἡμῶν ἀναθάλλει εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς, διὰ τούτου ἠθέλησεν ὁ δεσπότης τῆς ἀθανάτου γνώσεως ἡμᾶς γεύσασθαι. Quae quidem cognitio ad divinam potissimum Christi dignitatem pertinet ex V. T. testimoniis intelligendam. Quamobrem statim adduntur haec: Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ, τοσούτῳ μείζων ἐστὶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον ὄνομα κεκληρονόμηκεν. Γέγραπται γὰρ οὕτως κτλ. Sed licet illa γνῶσις in interiori Christi notitia consummetur, tamen ut ex locis supra allatis elucet, ipsius γνώσεως notio etiam latius patet. Significat autem omnino cognitionem aliquam divinae voluntatis, revelatae illius quidem, sed signis quibusdam quae contemplari debent homines indicatae. Cfr. c. 12: [Γινώ]σκουσα γινώσκω ἐγώ, ὅτι [κύριος ὁ θεὸς] ὑμῶν παραδίδωσιν ὑμῖν [τὴν πό]λιν ταύτην, ὁ γὰρ φόβος καὶ [τρό]μος ὑμῶν ἐπέπεσεν τοῖς κα[τοι]κοῦσιν αὐτήν[1]).

Hanc ipsam autem voluntatem Dei quum omnibus nervis Clemens in clariore luce ponere studeat, multum certe dignitatis etiam interiori illi γνώσει tribuit. Itaque laudibus efferuntur Corinthii non

---

[1]) Pertinet ἡ γνῶσις hoc loco ad rerum futurarum cognitionem cfr. etiam c. 31. 43. Loquitur igitur Clemens non tam de Christiana γνώσει, sed de ea γνώσει cujus etiam Judaei homines longe ante Christum participes facti sint.

solum propter fidem et pietatem et hospitalitatem, verum etiam propter τὴν τελείαν καὶ ἀσφαλῆ γνῶσιν (c. 1); et statim explicandi gratia adduntur haec: ἀπροσωπολήπτως γὰρ πάντα ἐποιεῖτε καὶ τοῖς νόμοις[1]) τοῦ θεοῦ ἐπορεύεσθε κτλ. Atque haec ipsa γνῶσις inter χαρίσματα refertur c. 48: Ἤτω τις πιστὸς, ἤτω δυνατὸς γνῶσιν ἐξειπεῖν, ἤτω σοφὸς ἐν διακρίσει λόγων κτλ.

Atque hinc demum intelligitur, quid tandem auctoritatis Clemens legi Mosaicae tribuerit: est enim divina voluntas quae tota in Jesu Christo revelata est, legis mandatis tamquam adumbrata. Itaque qui voluntatem Dei cognoscere volunt, ii ad V. T. lectionem incumbere debent, quippe quum Spiritus Sanctus in V. T. loquatur cfr. c. 13. 16. 22. 45. Sed ob id ipsum, quod in Christo demum perfectam Divinae voluntatis notitiam accepimus, lex Mosaica tanquam praeparatio est in Christum facta: Christus et Christianae religionis instituta κατ' ἀλληγορίαν et τυπικῶς in V. T. praedicuntur. Totum enim V. T. novae religionis vaticinium est; neque distingui licet inter mandata V. T. et vaticinia. Sed sponte apparet, fieri non posse, ut ipsi Mosaicae legi integra etiam et inconcussa inter Christianos auctoritas tribuatur. Licet igitur N. et V. T. hoc commune sit, quod in utroque voluntas Dei expressa est, tamen illa voluntas non eodem modo in V. atque in N. Foedere expressa est. Perfecta divinorum mandatorum notitia Christianis tantum contigit.

Itaque errat *Köstlin,* qui legem Mosaicam aeterna dignitate apud Clementem ornatam esse ex iis evincere studet quae capp. 40 sqq. de muneris ecclesiastici institutione disseruntur[2]). Non enim ideo, quia legis auctoritatem tuebatur Clemens munus ecclesiasticum retinendum esse censuit; sed vice versa, quia muneris ecclesiastici auctoritatem firmare voluit, ex V. T. exempla quaedam sumsit, unde voluntas divina luculentius appareret. Non igitur inde colligi licet, legem ritualem quae vocatur Christianis hominibus a Clemente impositam esse; sed nil nisi voluntas Dei illustratur, qui omnes homines eum locum quem sortiti essent obtinere neque altius spirare

---

[1]) Nihil est, quamobrem νόμοις cum plerisque editoribus in νομίμοις corrigam.

[2]) Zur Geschichte des Urchristentums. Theol. Jahrb. l. c. Conferantur quae contra eum disputavit *Hilgenfeld*, l. c.

jusserit. Quin tantum abest, ut integra legis Mosaicae auctoritas inde eluceat, ut ab ethnicis quoque divinae voluntatis exempla petantur. Illud ipsum enim obsequium presbyteris a Christianis hominibus debitum non solum Mosaica hierarchia, sed etiam disciplina militari illustratur quae in exercitibus Romanorum servatur c. 37. Atque eodem modo Phoenice ave immortalitas animae comprobatur (c. 24); amor porro, qui privata commoda communi saluti postponit, ethnicorum regum ac principum exemplis commendatur (c. 53); ex ipsis denique Graecorum fabulis feminarum quarundam nomina sumuntur, quae quum gravissima supplicia injuste sustinuissent, nobilissimis praemiis propter fidem divinitus ornatae esse dicuntur [1]).

Quod certe de industria fecit Clemens. Nam ejusmodi testimoniis illustravit, Christianam religionem non solum lege Mosaica, sed etiam exterarum gentium historia praeparatam fuisse. Nam licet multa magnaque beneficia a Jacobo patriarcha originem traxerint (c. 32) [2]), Christi sanguis non pro Judaeis solis, sed pro omnibus hominibus effusus est. Neque vero ante mortem Christi una Mosaica lege homines ad salutem perducebantur; sed omni aetate Deus iis qui poenitentiam agere vellent, poenitendi locum dedit. Sic jam ante legem latam Noë poenitentiae praeco exstitit, et qui ei obtemperabant servati sunt. Similiter Jonas propheta Ninivitis urbis suae interitum praedicens, eos permovit, ut supplicibus precibus Dei gratiam implorarent; illi vero salutem acceperunt, licet non essent ex populo Judaeorum c. 7 [3]). Atque idem illud etiam Rahabae exemplo docetur (c. 12).

---

[1]) Διὰ ζῆλος διωχθεῖσαι γυναῖκες, Δαναΐδες καὶ Δίρκη (sic legendum esse censeo pro Δίρκαι) αἰκίσματα δεινὰ καὶ ἀνόσια παθοῦσαι, ἐπὶ τὸν τῆς πίστεως βέβαιον δρόμον κατήντη[σαν], καὶ ἔλαβον γέρας γενναῖον αἱ ἀσθενεῖς τῷ σώματι. Censuit igitur Clemens feminas illas supplicia ista quibus eas affectas esse scimus injuste passas esse. Cfr. *Hilgenfeld*, l. c. p. 50.

[2]) Τὰ μεγαλεῖα τῶν ὑπ' αὐτοῦ δεδομ[ένων] δωρεῶν non de donis intelligenda sunt a Deo Jacobo tributis, sed de beneficiis a Jacobo in nobis collocatis.

[3]) [Ἀτενίσ]ωμεν εἰς τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, [καὶ ἴδ]ωμεν, ὡς ἔστιν τίμιον τῷ θεῷ [αἷμα?] αὐτοῦ, ὅτι διὰ τὴν ἡμετέραν [σωτ]ηρίαν ἐκχυθὲν παντὶ τῷ κό[σμ]ῳ μετανοίας χάριν ὑπήνεγκεν. [Ἀνέλθ]ωμεν εἰς τὰς γενεὰς πάσας [καὶ κα]ταμάθωμεν, ὅτι ἐν γενεᾷ [καὶ] γενεᾷ μετανοίας τόπον ἔδω[κ]εν ὁ δεσπότης τοῖς βουλομένοις ἐπιστραφῆναι ἐπ' αὐτόν. Νῶε ἐκήρυξε μετάνοιαν,

Jam si omnibus omnino hominibus poenitentiae gratiam oblatam esse docetur[1]), fieri non potest quin etiam qui legem non observaverint ad salutem perveniant, dummodo divinae voluntati per poenitentiae praecones manifestatae sese subjiciant. Haec ipsa enim Dei voluntas non solum ex lege et prophetarum vaticiniis, sed etiam ex multis aliis signis ac testimoniis intelligitur.

§. 3.

De justificatione et fide. De bonis operibus[2]).

Ex iis quae paragrapho superiori de legis Mosaicae auctoritate disputavimus facile apparet, Clementem Paulinam doctrinam secutum esse; sed ita quidem, ut quantum fieri posset, V. F. mandata utpote signa divinae voluntatis ad Christianam religionem accommodaret. Paulinae doctrinae summa est haec, ut lex Mosaica fide et abrogata et conservata esse dicatur: abrogata, si externam ejus formam spectamus, conservata, si praeceptorum quae ad vitam emendandam pertinent rationem habemus. Allegoricae autem V. T. interpretationis non nisi fundamenta posita sunt apud apostolum. Clementem si audis, non negatur externa legis forma abrogata esse: conservatur autem lex moralis non fide, quae sponte sua perficit legis mandata, sed divina voluntate, quae una eademque est

---

καὶ οἱ ὑπακούσαντες ἐσώθησαν. Ἰωνᾶς Νινευΐταις καταστροφὴν ἐκήρυξεν· οἱ δὲ μετανοήσαντες ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν αὐτῶν ἐξιλάσαντο τὸν θεὸν ἱκετεύσαντες, καὶ ἔλαβον σωτηρίαν, καίπερ ἀλλότριοι τοῦ θεοῦ ὄντες.

[1]) Quod Christiani c. 29 ἐκλογῆς μέρος esse dicuntur (cfr. c. 30 ἁγίου μερὶς. c. 2 τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐκλεκτῶν. c. 35: Ἡμεῖς οὖν ἀγωνισώμεθα εὑρεθῆναι ἐν τῷ ἀριθμῷ τῶν ὑπομενόντων αὐτὸν, ὅπως μεταλάβωμεν τῶν ἐπηγγελμένων δωρεῶν) id sic intelligendum est, ut ex omnibus populis Deus sibi adjunxerit eos, qui verbis ejus aures praebere vellent. Quod igitur de Israelitis scriptum est eos populum esse Dei, id si verum quaerimus ad Christianos pertinet; et ad Christianos accommodantur etiam verba Deut. IV, 34: Ἰδοὺ, κύριος λαμβάνει ἑαυτῷ ἔθνος ἐκ μέσου ἐθνῶν. Quae quidem electio in Christo facta est c. 58: (θεὸς) ὁ ἐκλεξάμενος [τὸ]ν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ ἡμᾶς δι' αὐτοῦ εἰς λαὸν περιούσιον.

[2]) Cfr. imprimis *Ritschl*, Altkathol. Kirche, p. 287 sqq. — *Hilgenfeld,* Apostol. Väter, p. 86 sqq. — *Reuss*, Histoire de la théologie chrétienne, II, 608 sqq. — *Köstlin,* Zur Gesch. des Urchristentums, l. c. 247 sqq. — *Schwegler,* Nachapostol. Zeitalter, II, 125 sqq. — *Gundert*, Zeitschrift für luther. Theologie, 1854, p. 473—477.

in V. et in N. T. Hac ipsa autem divina voluntate etiam omnia illa mandata, quae ad munns sacerdotale pertinent, conservata sunt; conservata autem sunt non sic, ut ad verbum omnia intelligi debeant, id quod Judaismum redoleret, sed hoc modo, ut V. F. instituta tamquam signa et simulacra sint earum legum quae Christianorum reipublicae scriptae sunt.

Fidei autem hoc proprium est, ut divina mandata in V. T. conspicua confirmet. Cfr. c. 22: Ταῦτα δὲ πάντα βεβαιοῖ ἡ ἐν Χριστῷ πίστις· καὶ γὰρ αὐτὸς διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου οὕτως προσκαλεῖται ἡμᾶς· δεῦτε τέκνα, ἀκούσατέ μου, φόβον κυρίου διδάξω ὑμᾶς (Ps. 34, 11 sqq.). Nimirum fide efficitur, ut mandata illa ad nosmet ipsos referenda esse existimemus, quandoquidem per Christum demum ut supra expositum est, ad interiorem Dei cognitionem pervenimus c. 36. Itaque promissionum divinarum participes reddimur, ἐὰν ἐστηριγμένη ᾖ ἡ διάνοια ἡμῶν πίστεως πρὸς τὸν θεόν, ἐὰν ἐκζητῶμεν τὰ εὐάρεστα καὶ εὐπρόσδεκτα αὐτῷ, ἐὰν ἐπιτελέσωμεν τὰ ἀνήκοντα τῇ ἀμώμῳ βουλήσει αὐτοῦ καὶ ἀκολουθήσωμεν τῇ ὁδῷ τῆς ἀληθείας c. 35. Cfr. etiam c. 3: Πόῤῥω ἄπεστιν ἡ δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη, ἐν τῷ ἀπολείπειν ἕκαστον τὸν φόβον τοῦ θεοῦ, καὶ ἐν τῇ πίστει αὐτοῦ ἀμβλυωπῆσαι, μηδὲ ἐν τοῖς νομίμοις τῶν προσταγμάτων αὐτοῦ πορεύεσθαι, μηδὲ πολιτεύεσθαι κατὰ τὸ καθῆκον τῷ Χριστῷ.

Jam hinc intelligis, fidem non tam novae vitae principium esse, quam firmam aliquam mentis persuasionem quam de voluntate divina suscepimus. Legis igitur et fidei ratio alia est apud Paulum, alia apud Clementem.

Sed fidei notionem quam Clemens in animo suo informavit, tum demum recte intelligere possumus, si eam sententiam quam ille de fide justificante tenuit, accuratius pervestigaverimus.

Ac Paulus quidem Apostolus fidem putavit eam esse animi conditionem, qua ad illam quam in Christo Deus proposuit salutem toto nos pectore accommodamus, omni tumore, omni proprio merito, omni privatarum rerum studio prorsus omisso. Hac ipsa autem fide efficitur, ut homines arctissima cum Deo conjungantur communione. Fides enim quum ad Christi potissimum mortem et resurrectionem dirigatur, mortis et resurrectionis Christi nos participes reddit. Una cum Christo mortui et sepulti, a peccati dominio liberati sumus; una cum Christo a mortuis suscitati, ad novam sancti-

tatis vitam per Spiritum Divinum perducimur. Jam quidquid nostram voluntatem a divina seduxit, evanuit: toto enim animo ac pectore Christo dediti sumus: Christus in nobis, nos in Christo vivimus, per Spiritum Sanctum ad ipsius divinae naturae communionem evecti.

Fides igitur quum tanquam vinculum sit quod cum Deo Christoque nos conjungat, nemo non intelligit, quidquid bonum, probum et honestum est, id ex ipsa fide tamquam ex fonte perenni derivari. Quocirca non opus est bona opera juxta fidem diserte commendare. Imo quum ex legis operibus aliquid meriti sibimet ipsis arrogare possint homines, fides autem pro natura sua omne meritum quod hominum proprium sit rejiciat, multo melius est, operum omnino nullam mentionem injicere. Itaque sola fide homines justificari credendum est, omni operum merito prorsus excluso [1]).

Quae quidem Apostoli sententia gravissimis controversiis obnoxia fuit. Nam plerique, ne dicam omnes qui tunc vivebant, ejus vim et significationem prorsus ignorabant. Ignorabant enim fidei nomen ad illius hominis statum pertinere, qui toto se animo ac pectore Christo dedidit, ita ut novam vitam spiritualem in Christi communione viveret. Sed quum fidei nomine nihil nisi mentis aliquam persuasionem, vel etiam certam quandam rerum futurarum spem significarent, non potuerunt non praeter fidem etiam opera ad salutem necessaria esse putare. Vehementer enim metuendum erat, ne magna hominum multitudo in externo isto mentis assensu acquiescerent, mores emendandos parum curarent.

Quae quum ita sint, operae certe pretium est paullo subtilius pervestigare, quid tandem Clemens Romanus de fide justificante censuerit. De qua quidem re quum viri docti mirum quantum inter se dissentiant, nobis ea disputandi ratione uti placet, ut omni diversarum opinionum examine praetermisso, recta via ad ipsius Clementis verba subtiliori judicio subjicienda accedamus [2]).

---

[1]) Cfr. Paulin. Rechtfertigungslehre, p. 121 sqq.

[2]) Clementem Pauli quidem doctrinae addictum fuisse, sed illius apostoli et Jacobi sententias inter se conciliare studuisse, putaverunt *Schliemann*, Clementinen, p. 412 sqq. et *Schwegler*, l. c. (cfr. etiam *Baur*, Theol. Jahrb., 1844, p. 571). A quorum sententia nonnihil discessit *Reuss* (l. c. cfr. etiam Gesch. der heil. Schriften des N. T., p. 224 (ed. II), qui epistolam pro documento habet reconciliationis cujusdam jam factae, sed non nisi extrin-

In capite 32 haec verba reperiuntur: Πάντες οὖν ἐδοξάσθησαν καὶ ἐμεγαλύνθησαν οὐ δι' αὐτῶν, ἢ τῶν ἔργων αὐτῶν, ἢ τῆς δικαιοπραγίας ἧς κατεργάσαντο, ἀλλὰ διὰ τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Καὶ ἡμεῖς οὖν διὰ θελήματος αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας, ἀλλὰ διὰ τῆς πίστ[ε]ως, δι' ἧς πάντας τοῦ ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ θεὸς ἐδικαίωσεν· ᾧ ἔστω ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. Ibi quum sola fide homines justificari dicantur, omni bonorum operum merito prorsus excluso, sponte apparet ad Paulinae doctrinae exemplum haec verba conformata esse. Neque hoc discrepat a Pauli apostoli sententia, quod homines simul dicuntur διὰ τοῦ θελήματος τοῦ θεοῦ justificari. Duplicem enim esse causam justificationis, alteram objectivam ut ajunt philosophi, alteram subjectivam etiam ille professus est. Hoc unum Clementis proprium est, quod pro gratia Dei in morte et resurrectione Christi conspicua divinam ponit voluntatem per quam in Christo Jesu vocati simus.

Sed videamus, quae statim subsequuntur ab initio capitis 33: Τί οὖν ποιήσωμεν, ἀδελφοί; ἀργήσωμεν ἀπὸ τῆς ἀγαθοποιΐα[ς], καὶ ἐγκαταλείπωμεν τὴν ἀγάπη[ν]; μηδαμῶς τοῦτο ἐάσαι ὁ δεσπότ[ης] ἐφ' ἡμῖν γε γενηθῆναι, ἀλλὰ σπεύσωμεν μετὰ ἐκτενείας καὶ προθυμίας πᾶν ἔργον ἀγαθ[ὸν] ἐπιτελεῖν. Αὐτὸς γὰρ ὁ δημιουργὸς καὶ δ[εσπό]της τῶν ἁπάντων ἐπὶ τοῖς ἔρ[γοις] αὐτοῦ ἀγαλλιᾶται. Τῷ γὰρ παμμεγεθεστάτῳ αὐτ[οῦ] κράτει οὐρανοὺς ἐστήριξε[ν] κτλ. . . .

---

secus et omni Paulinae doctrinae colore exterso. Integram porro Pauli apostoli doctrinam apud Clementem propositam esse affirmant *Thiersch*, Die Kirche im apostol. Zeitalter, p. 347 sqq. et *Lechler*, Apostol. und nachapostol. Zeitalter, p. 311. Quorum sententiam amplexus est etiam *Gundert*, Zeitschr. für luther. Theol. (1854), p. 473—477, licet ille Clementem concedat humanae voluntatis vim pluris quam par est aestimavisse. Contrarium judicium tulerunt *Planck*, Judentum und Urchristentum. Theol. Jahrb. (1847), p. 487 et *Köstlin*, l. c., qui Clementem catholicae ecclesiae adscribentes doctrinam ejus non ex Paulinis, sed ex Judaicis opinionibus ortam esse censent. *Pauli* denique apostoli doctrinam epistolae fundamentum esse *Ritschl* (l. c.) et *Hilgenfeld* (l. c.) asseverant; uterque enim non negat quidem Clementis doctrinam aliquantisper a Paulina declinavisse, sed illam differentiam explicare studet non ex reconciliatione duarum partium aut facta aut expetita, sed ex iis sentiendi vicissitudinibus, quibus ipsa Paulina doctrina subjecta fuerit.

Ιδωμεν ὅτι τε ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς πάντες ἐκοσμήθησαν οἱ δίκαιοι· καὶ αὐτὸς οὖν ὁ κύριος ἔργοις ἑαυτὸν κοσμήσας, ἐχάρη. Ἔχοντες οὖν τοῦτον τὸν ὑπογραμμὸν, ἀόκνως προσέλθωμεν τῷ θελήματι αὐτοῦ· ἐξ ὅλης ἰσχύος ἡμῶν ἐργασώμεθα ἔργον δικαιοσύνης. Intelliges, Clementem eos refellere voluisse, qui nulla se lege obstrictos esse putarent ad bona opera perpetranda. Fuerunt igitur, qui Pauli doctrina turpiter abuterentur. Sed ne ipse quidem Clemens apostoli sententiam penitus perspexisse videtur. Nam quae ad istos refutandos proferuntur argumenta, ea non tam ab ipsius fidei indole aut natura, quam a Dei exemplo et voluntate petita sunt. Extrinsecus igitur aliqua causa additur, quae homines ad recte faciendum impellat. Tacite conceditur fieri posse, ut quis fidem habeat, bona opera negligat. Hoc vero vehementer pugnat cum Pauli sententia, quippe qui bona opera sponte sua ex fide nasci, fidem autem operum expertem ne cogitari quidem posse censuerit. Conferas quae Rom. VI, 1 sqq. de hac re ab apostolo exposita sunt. Quae si perlegeris, non poteris non concedere, in mystica illa hominum cum Christo unione quae ex ipsa fide nascitur causam inesse, quamobrem justificati peccare nequeant. Quam quidem mysticam unionem quum Romanus theologus prorsus ignoraret, factum est, ut ille verbis quidem Paulum imitatus sit, ab ipsa vero apostoli sententia longe discesserit.

Accedit, quod alibi ne verbis quidem Paulum secutus est. Respicias cap. 30: Ἔργοις δικαιούμενοι, καὶ μὴ λόγοις. Dixerit forte quispiam, eodem modo etiam Paulum locutum esse Rom. II, 13: Οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ θεῷ, ἀλλ' οἱ ποιηταὶ νόμου δικαιωθήσονται. Audio. Sed hoc loco ex concessis tantum argumentatur apostolus ut plerique censent; ita ut revera nemo legem implere existimandus sit; aut ut mihi videtur fidei notionem tacite interposuit, ac de iis locutus est, qui per fidem legis implendae facultatem acceperunt, legis scilicet praeceptis tamquam cordi inscriptis [1]). Utrumvis eligas, Clementis verba a Paulo discrepare ac proxime ad *Jacobi* sententiam accedere fateberis. Nam plane eodem modo apud Jacobum II, 14—17 opera verbis opponuntur.

Sed non est, quod diutius in hoc loco interpretando versemur.

---

[1]) Paulin. Rechtfertigungslehre, p. 54 sqq., 71 sqq., 88 sqq.

Suppetunt alii loci quibus idem demonstratur. Conferatur c. 9: Λάβωμεν Ἐνὼχ, ὃς ἐν ὑπακοῇ δίκαιος εὑρεθεὶς μετετέθη. Cap. 11: Διὰ φιλοξενίαν καὶ εὐσέβειαν Λὼτ ἐσώθη ἐκ Σοδόμων. C. 21: Μαθέτωσαν, τί ταπεινοφροσύνη παρὰ θεῷ ἰσχύει, τί ἀγάπη ἁγνὴ παρὰ τῷ θεῷ δύναται, πῶς ὁ φόβος αὐτοῦ καλὸς καὶ μέγας καὶ σώζων πάντας τοὺς ἐν αὐτῷ ὁσίως ἀναστρεφομένους ἐν καθαρᾷ διανοίᾳ. Cap. 50: Μακάριοί ἐσμεν, ἀγαπητοὶ, εἰ τὰ [προσ]τάγματα τοῦ θεοῦ ἐποιοῦμεν ἐ[ν ὁ]μονοίᾳ ἀγάπης εἰς τὸ ἀφηθῆ[ναι] ἡμῖν δι' ἀγάπης τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. Quid multa? justificationem et peccatorum remissionem ex operibus, ex obedientia, ex modestia, ex amore, ex numinis divini reverentia nasci, his locis diserte docetur.

Sed probe tenendum est, nequaquam exinde colligi posse, solis operibus homines justificari. Neque enim usquam fides diserte excluditur. Imo multi exstant loci, in quibus fides et hospitalitas (vel etiam fides et obedientia) tanquam justificationis causae inter se conjunguntur. Sic legitur cap. 10: Διὰ πίστιν καὶ φιλοξενίαν ἐδόθη αὐτῷ υἱὸς ἐν γήρᾳ. Cap. 12: Διὰ πίστιν καὶ φιλοξενίαν ἐσώθη Ῥαὰβ ἡ πόρνη. Utrumque non temere conjunctum esse facile animadvertet, qui loquendi formulas quibus usus est Clemens paullo accuratius pervestigaverit. Inde a capite nono ad pravam Corinthiorum aemulationem perstringendam exempla eorum afferuntur, qui pro singulari qua erant virtute humanitateque aeternis praemiis ornati sint. Henoch dicitur ἐν ὑπακοῇ δίκαιος repertus esse. Noë πιστὸς repertus est. De Abrahamo modo fides, modo obedientia, modo fides et hospitalitas praedicatur. Lot διὰ φιλοξενίαν καὶ εὐσέβειαν, Rahab διὰ πίστιν καὶ φιλοξενίαν servata est. Comparari possunt etiam quae capite 31 scripta exstant: Abraham divinis praemiis ornatus esse dicitur δικαιοσύνην καὶ ἀλήθειαν διὰ πίστεως ποιήσας. Isaac laudatur quia διὰ πεποιθήσ[εως] futura praesagiens, libenter Deo se praebuerit victimam; Jacobus denique pater populi Israelitici factus esse narratur propterea quod μετὰ ταπεινοφρ[οσύνης] ἐξεχώρησεν τῆς γῆς αὐ[τοῦ].

Haec omnia luculenter opinor testantur, Clementem ad eandem rem significandam modo fidei, modo virtutis, modo fidei et virtutis mentionem fecisse. Nimirum sic demonstratum esse Clemens sibi persuasit, duas illas quae vehementer inter se pugnare videbantur *Pauli* et *Jacobi* sententias revera plane unum idemque valere. Itaque in fidei exemplis quae ante oculos ponit, et

Pauli apostoli epistolaeque ad Hebraeos datae, et vero etiam *Jacobi* rationem habet. Cfr. c. 10: Ἀβραὰμ ὁ φίλος προςαγορευθείς, πιστὸς εὑρέθη ἐν τῷ αὐτὸν ὑπήκοον γενέσθαι τοῖς ῥήμασιν τοῦ θεοῦ. Οὗτος δι' ὑπακοῆς ἐξῆλθεν ἐκ τῆς γῆς αὐτοῦ καὶ ἐκ τῆς συγγενείας αὐτοῦ ... ὅπως κληρονομήσῃ τὰς ἐπαγγελίας τοῦ θεοῦ ... Ἐπίστευσεν δὲ Ἀβραὰμ τῷ θεῷ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. Διὰ πίστιν καὶ φιλοξενίαν ἐδόθη αὐτῷ υἱὸς ἐν γήρᾳ, καὶ δι' ὑπακοῆς προσήνεγκεν αὐτὸν θυσίαν τῷ θεῷ. C. 31: Τίνος χάριν ηὐλογίσθη ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ; οὐχὶ δικαιοσύνην καὶ ἀλήθειαν διὰ πίστεως ποιήσας; Jam addamus locos N. T.:

Rom. IV, 1—3: Τί οὖν ἐροῦμεν εὑρηκέναι Ἀβραὰμ τὸν προπάτορα ἡμῶν κατὰ σάρκα; εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ' οὐ πρὸς θεόν. τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; ἐπίστευσεν δὲ Ἀβραὰμ τῷ θεῷ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην (cfr. Gal. III, 6).

Hebr. XI, 8sqq.: Πίστει ὁ καλούμενος Ἀβραὰμ ὑπήκουσεν ἐξελθεῖν εἰς τόπον ὃν ἔμελλε λαμβάνειν εἰς κληρονομίαν, καὶ ἐξῆλθεν μὴ ἐπιστάμενος ποῦ ἔρχεται. πίστει παρῴκησεν εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας.

Jac. II, 21—23: Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ἡμῶν οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἀνενέγκας Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ εἰς θυσιαστήριον; βλέπεις ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα· ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ θεῷ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην· καὶ φίλος θεοῦ ἐκλήθη.

Ex his tribus locis simul hausit Clemens sententiam suam. Ex Paulo sumsit sententiam qua fides Abrahamo in justitiam dicitur imputata esse; Jacobum imitatus est, quum Abrahamum Dei amicum appellatum esse profitetur (cfr. etiam c. 17); cum auctore denique epistolae ad Hebraeos datae in eo fecit, quod obedientiam Abrahami laudat, eumque promissiones divinas hereditate accepisse narrat. Diversae autem sententiae sic in unam conflatae sunt, ut plurimum ponderis obedientiae tribuatur. Haec enim in operum quae Jacobus tuetur locum successit: fides autem in hac ipsa obedientia cernitur [1]).

---

[1]) Cfr. *Reuss,* Histoire de la théol. chrét., II, 611 sqq.

Praeterea conferas quae de Rahaba dicuntur (c. 12) cum locis Hebr. XI, 31 et Jac. II, 25. Nimirum quum auctor epistolae ad Hebraeos datae Rahabam fide ab interitu servatam esse dicat, Jacobus autem eam ex operibus justitiam accepisse putet, denuo utrumque complectitur Clemens formula: διὰ πίστιν καὶ φιλοξενίαν ἐσώθη Ῥαὰβ ἡ πόρνη[1]).

Quae quum ita sint, vix cuiquam dubium erit, Clementis sententiam nonnihil a Paulina discedere. Nam si unum locum capitis 32 exceperis, nusquam contenditur sola fide homines justificari. Sed id ipsum quod capite 32 Paulinam formulam tantopere defendit, satis demonstrat, Clementem Paulo Apostolo haud mediocriter favisse. Atque hinc effectum est, ut ne unus quidem locus reperiatur, in quo diserte apostolo obloqueretur. Nam in iis quoque locis, in quibus longissime ab illo discessit, doctrinam ejus nequaquam refellendam curavit. Imo artificiosissime rem instituit sic, ut modo fidem, modo obedientiam, modo fidem et hospitalitatem, fere certo quodam ordine et alternis vicibus commemoraret. Docuit igitur sane fide et operibus homines justificari: sed nullus locus reperitur, ubi ipsa illa formula πίστις καὶ ἔργα adhibita sit. Nam ubi cum fide alia salutis causa conjungitur, ibi non ipsa opera adduntur, sed hospitalitas.

Quod autem interdum unius fidei mentionem facit, id neutiquam pro genuinae Paulinae doctrinae documento haberi licet. Imo fidei notio, quam mente susceperat, ipso scilicet Clemente nesciente haud mediocriter cum Paulina fidei notione pugnat.

Quod ne temere confirmasse videamur, in ipsa fidei notione accuratius perquirenda paullisper tanquam pedem figere placet. Est autem haud difficile cognitu, quid ille de fidei natura et indole senserit. Conferas verba capitis 10 quibus jam supra usi sumus: Ἀβραὰμ . . . πιστὸς εὑρέθη ἐν τῷ αὐτὸν ὑπήκοον γενέσθαι τοῖς ῥήμασιν τοῦ θεοῦ. Fides igitur in obedientia cernitur, quae verbis Dei praestatur. Obedientiae autem duo sunt genera: alterum quod ad sentiendum, alterum quod ad agendum pertinet. Obedimus verbis Dei, si quidquid ille locutus est, id omni dubitatione remota pro certo habemus; obedimus vero etiam verbis Dei, si mandata ejus strenue diligenterque

[1]) Cfr. *Reuss*, l. c., p. 612.

peragimus. Hoc loco utrumque conjunctum est, id quod apparet ex verbis sequentibus: Οὗτος δι' ὑπακοῆς ἐξῆλθεν ἐκ τῆς γῆς αὐτοῦ ... ὅπως ... κληρονομήσῃ τὰς ἐπαγγελίας τοῦ θεοῦ. Abrahamus enim nisi promissionibus fidem habuisset, mandatis divinis quibus ex patria exire juberetur, vix obtemperavisset.

Conferantur porro verba capitis 22 quorum jam antea mentionem injecimus: Ταῦτα δὲ πάντα βεβαιοῖ ἡ ἐν Χριστῷ πίστις. Illud ταῦτα πάντα ad superiores cohortationes pertinet quibus quisque quidquid propositum habet strenue ac tranquille perficere jubetur. Imprimis autem respexisse videtur Clemens ea, quae proxime antecesserunt: Μαθέτωσαν, τί ταπεινοφροσύνη παρὰ θεῷ ἰσχύει κτλ. (locum supra exscripsimus p. 61). Fides igitur confirmat hoc ipsum, quod animus submissus et caritas multum apud Deum valere, numinis autem Divini reverentia ipsius salutis tanquam fons esse dicitur. Confirmat autem sic, ut ipsa fide quam divinis verbis Christo interprete et auctore habeamus, quid Deus a nobis exigat intelligamus, nosque ad Dei timorem et reverentiam accommodemus. Cfr. quae statim subsequuntur verba: Καὶ γὰρ αὐτὸς διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου οὕτως προσκαλεῖται ἡμᾶς· δεῦτε τέκνα, ἀκούσατέ μου, φόβον κυρίου διδάξω ὑμᾶς. Non igitur fides per se est salvifica, sed efficit tantum hoc, ut verbo Dei quo ad recte faciendum impellimur, obtemperemus; ipsa autem salutis causa non in fide, sed in reverentia Dei cernitur, vel potius in obedientia illa, quae et hanc fidem divinas cohortationes confirmantem et Dei reverentiam his cohortationibus commendatam simul complectitur.

Ipsius igitur fidei natura cernitur in eo, quod animum applicamus ad divinam voluntatem recte intelligendam. Ac primum quidem fidei est, divina mandata quae quum in V. T. tum ipsius Christi sermonibus (τοῖς λόγοις τοῦ κυρίου) traduntur cognoscere, cognitaque tamquam certam et immutabilem agendi regulam sibi proponere. Atque huc pertinent ea, quae jam supra p. 57 de fide tanquam firma quadam mentis persuasione, de voluntate Dei suscepta exposuimus. Praeter verba illa capitis 22 imprimis conferenda sunt quae capite 3 leguntur: Πόῤῥω ἄπεστιν ἡ δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη ἐν τῷ ἀπολείπειν ἕκαστον τὸν φόβον τοῦ θεοῦ καὶ ἐν τῇ πίστει αὐτοῦ ἀμβλυωπῆσαι, μηδὲ ἐν τοῖς νομίμοις τῶν προσταγμάτων αὐτοῦ πορεύεσθαι κτλ. Fidem hoc loco in hoc

ipso cerni, quod sit mentis aliqua persuasio de divinis mandatis suscepta quae ad Dei timorem nos perducere debeat, id intelligitur quum ex toto sententiarum ordine, tum etiam ex ἀμβλυωπῆσαι verbo quod proprie de caecutientibus dicitur. Πίστις θεοῦ est igitur recta cognitio, quam divinis verbis obsecuti de Deo ac divina voluntate suscepimus. Similiter in epistola ad Hebraeos leguntur XIII, 6: Πιστεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ θεῷ, ὅτι ἔστι, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται [1]).

Verum enim vero quum voluntas divina etiam in promissionibus cognoscatur, fidei etiam hoc proprium est, ut in rebus futuris a Deo promissis firmam et inconcussam spem collocet. Atque ex numero eorum locorum in quibus fides ad rerum futurarum spem refertur, imprimis ea verba sunt quae inde a capite 10 usque ad caput 12 leguntur. Praecipue de Abrahamo sermonem institui scimus: fidelis enim ille repertus esse dicitur propterea quod verbis divinis obtemperabat. Sed haec obedientia verbo divino praestita in inconcussa illa spe versatur, qua Abrahamus quod Deus promiserat pro certo habebat. Eodem spectant verba capitis 35 jam supra in medium prolata: Ἐὰν ἐστηριγμένη ᾖ ἡ διάνοια ἡμῶν πίστεως [2]) πρὸς τὸν θεόν, ἐὰν ἐκζητῶμεν τὰ εὐάρεστα καὶ εὐπρόσδεκτα αὐτῷ κτλ. Cogitationes illae fidei ad Deum directae ad promissiones pertinent divinas. De immensis enim donis verba fiunt, quae Deus iis dabit qui omnem spem et exspectationem in eum convertunt. Itaque Corinthii jubentur operam dare, ut et ipsi in numero eorum qui Deum exspectent reperiantur. Hoc autem tum evenire dicitur, si cogitationes suas in Deum dirigant i. e. si pia mente pro vero habeant quidquid Deus promiserit. Interdum pro spe memoratur fiducia, πεποίθησις. Haec fiducia appellatur etiam fiducia bonae fidei cfr. c. 26: Μέγα καὶ θαυμαστὸν οὖν νομίζομεν εἶναι, εἰ ὁ δημιουργὸς τῶν ἁπάντων ἀνάστασιν ποιήσεται τῶν ὁσίως αὐτῷ δουλευσάντων ἐν πεποιθήσει πίστεως ἀγαθῆς, ὅπου

[1]) Cfr. etiam Clem. Hom. II, 12: Ἔστι δὲ αὐτοῦ (veri prophetae) τό τε βούλημα καὶ ἀληθὲς κήρυγμα, ὅτι εἷς θεός, οὗ κόσμος ἔργον, ὃς δίκαιος ὢν πάντως ἑκάστῳ πρὸς τὰς πράξεις ἀποδώσει ποτέ.

[2]) Non opus est, cum *Junio* et *Wottono* quos etiam recentiores editores secuti sunt, genitivum πίστεως suspectum habere. *Wottonus* aut genitivum in dativum mutandum, aut διὰ praepositionem addendam esse censuit. *Hefele* διὰ uncis inclusum in ipsum textum recepit. Perperam.

καὶ δι' ὀρνέου (per Phoenicem avem) δείκνυσιν ἡμῖν τὸ μεγαλεῖον τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ. Quae quidem fiducia appellatur pia c. 2: Μεστοὶ ὁσίας βουλῆς ἐν ἀγαθῇ προθυμίᾳ μετ' εὐσεβοῦς πεποιθήσεως ἐξετείνατε τὰς χεῖρας ὑμῶν πρὸς τὸν παντοκράτορα θεόν. Nimirum in hac ipsa spe qua ad Dei gratiam invocandam ducuntur, cernitur numinis divini pia et religiosa reverentia. Haec autem denuo ad obedientiam pertinet Deo debitam. Ceterum ipsam fidem in hac fiducia cerni apparet etiam ex verbis c. 35: Ὡς μακάρια καὶ θαυμαστὰ τὰ δῶρα τοῦ θεοῦ, ἀγαπητοί. Ζωὴ ἐν ἀθανασίᾳ, λαμπρότης ἐν δικαιοσύνῃ, ἀλήθεια ἐν παῤῥησίᾳ, πίστις ἐν πεποιθήσει, ἐγκράτεια ἐν ἁγιασμῷ (cfr. c. 45).

Quid multa? fidei notionem eandem fere esse intelligimus quam quae in epistola ad Hebraeos data (XI, 1) ita expressa est: Ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Quam quidem rerum futurarum spem obedientiae documentum esse erga Deum praestitae, ne in illa quidem epistola silentio transmittitur cfr. XI, 8 (X, 36). Sed Clementina obedientiae notio, quum multo latius pateret, ac tamquam fundamentum totius esset theologiae, facere non potuit hic noster, quin in spe quoque ac fiducia laudanda multo etiam saepius quam ille divinae voluntatis quae illam spem imperaret mentionem injiceret.

Atque hinc demum etiam ille locus in clariore luce ponetur quem locum alii luculentissimum Paulinae doctrinae documentum habuerunt, verba dico capitis 12: Προσέθεντο αὐτῇ (sc. τῇ Ῥαάβ) δοῦναι σημεῖον, ὅπως κρεμάσῃ ἐκ τοῦ οἴκου αὐτῆς κόκκινον· πρόδηλον ποιοῦντες, ὅτι διὰ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου λύτρωσις ἔσται πᾶσιν τοῖς πιστεύουσιν καὶ ἐλπίζουσιν ἐπὶ τὸν θεόν. Fuerunt enim, qui fidem hoc loco intelligendam esse censerent genuino sensu Paulino, ita ut pertineret ad mortem Christi expiatoriam. Intelligitur autem, fidem et spem simul ad res futuras pertinere, i. e. ad aeternam illam gloriam quam Deus Christianis hominibus pollicitus est. Fidem autem h. l. a spe distinguendam esse vix quisquam sibi persuadebit, praesertim quum eadem res ab initio capitis 11 ita expressa sit: Πρόδηλον ποιήσας ὁ δεσπότης, ὅτι τοὺς ἐλπίζοντας ἐπ' αὐτὸν οὐκ ἐγκαταλείπει. Errant igitur qui Paulinae fidei quae in Christi morte nititur notionem huic loco inesse opinantur. Fides non ad Christum, sed ad Deum (ἐπὶ τὸν θεὸν) dirigitur, neque vero mystica illa Christianorum cum Christi morte

communio, sed rerum futurarum spes fidei nomine designatur. Mortis autem Christi hoc unum proprium esse dicitur, quod animos Christianorum spe illa firma et inconcussa impleverit.

Sed de mortis Christi vi alibi uberius exponendum est; hoc loco unum tenendum est, unde Clementinae fidei significatio satis intelligi potest. Fidei objectum non Christus est, sed Deus: commemoratur enim πίστις ϑεοῦ c. 3. 27 vel πίστις πρὸς τὸν ϑεὸν c. 35 (c. 2) vel etiam πίστις ἐπὶ τὸν ϑεὸν c. 12. Numquam autem formulae reperiuntur Paulinae πίστις Χριστοῦ [1]) vel πίστις εἰς Χριστὸν κτλ. Nam quae capite 22 legitur formula ἡ ἐν Χριστῷ πίστις non significat fidem in Christum quae totum animum Christo mancipat, sed fidem in Christo quae nititur in Christi verbis divinam voluntatem nobis revelantibus.

Non ignoro Clementem quoque fidem multis magnisque laudibus efferre. Clementina fides stabilis est, inconcussa, omnem dubitationem rejiciens: cfr. c. 1: Τὴν πανάρετον καὶ βεβαίαν ὑμῶν τὴν πίστιν c. 6: Τὸν τῆς πίστεως βέβαιον δρόμον. Igitur gravissime vituperantur, qui mentis sint incerti ac dubii c. 12. 23, aut qui in fide sua caecutiant c. 2. Sed haec omnia ad certam mentis persnasionem pertinere, quam quis de divina potentia (ut factum esse videmus c. 12) aut de divina voluntate suscepit, non est quod uberius ostendam.

Quae quidem fidei notio unde desumta sit nemo nesciet, qui epistolae Jacobi vel etiam Clementinarum Recognitionum vel levissima imbutus est notitia. Cfr. Jac. II, 19. Recogn. I, 33; II, 45. Hom. II, 12; IV, 13; X, 19; XIII, 4. Cernitur hac in re ea quae inter Judaeos pervulgata est de fidei natura opinio, quae quum externam tantum rei superficiem attingeret, ipsam fidem non nisi ad mentis aliquam persuasionem de Deo susceptam referendam esse putavit. Quae quidem sententia quum inter priscos Christianos pervulgata esset, fieri non potuit, ut Pauli apostoli sententia recte intelligeretur. Nam apostoli doctrina mysticae favit theologiae: Paulus enim in intima tamquam Divinae veritatis penetralia descendens, non negavit quidem fidei notione mentis illam persuasionem

[1]) Laterem lavare mihi viderer, si sententiam eorum qui πίστιν Χριστοῦ non fidem quam Christo habemus, sed fidem quae Christo auctore nititur esse putant, vel una literula denuo redarguere instituerem.

contineri; sed hanc ipsam fidem multo latius patere ostendit. Paulum igitur si audis, fides pariter ad intellectum atque ad voluntatem sensumque pertinet, neque solum res futuras, sed praeteritas simul atque praesentes complectitur; denique novae vitae conditio est, qua arctissime cum Deo Christoque conjuncti sumus. Sed hanc ipsam vitae conjunctionem qua Christus in nobis, nos in Christo vivimus, Clemens pariter atque fere omnes priscae ecclesiae scriptores ignorat. Imo solius obedientiae notionem animo suo informavit; sic autem fieri non potuit, quin longissime ab apostolo discederet. Nimirum apud Clementem plurimum valet submissus animus, quo ad verbum Dei aures applicamus, prompti paratique sumus ad recte sentiendum agendumque. Atque fidei esse putavit, hanc ipsam animi modestiam quae divinae voluntati semet ipsam subjiciat, tum divinae potentiae ac divinorum mandatorum agnitione, tum etiam spe et fiducia in promissionibus divinis reposita declarare. Igitur quod jam supra vidimus fidem ad obedientiam potissimum pertinere, id satis demonstratum esse putamus.

Atque sic demum effectum est, ut etiam ipsius justificationis notio quae apud Clementem reperitur, nonnihil discedat a Paulina notione. Cfr. quae capite 31 de Abrahamo dicuntur: Τίνος χάριν ηὐλογήθη ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ; οὐχὶ δικαιοσύνην καὶ ἀλήθειαν διὰ πίστεως ποιήσας; Fides igitur quam verbis divinis habuit, impulit Abrahamum ad recte justeque faciendum. Justus igitur redditus est non sola fide, sed bonis operibus interpositis: justitiam non accepit tanquam novum vitae statum, in quo collocatus est a Deo, sed operibus demum ipse paravit eam. Igitur qui juste facit is demum justus coram Deo habetur. Cfr. etiam c. 13 ubi Jeremiae prophetae verbis utens homines jubet Deum sequi καὶ ποιεῖν κρίμα καὶ δικαιοσύνην. Porta igitur justitiae (πύλη δικαιοσύνης vel πύλη ἡ ἐν δικαιοσύνῃ) illa est per quam intrant, qui in Christo h. e. Christo duce et auctore omnia perficiant c. 48: Πύλη γὰρ δικαιοσύνης ἀνεῳγυῖα εἰς ζωὴν αὕτη, καθὼς γέγραπται· «ἀνοίξατέ μοι πύλας δικαιοσύνης· εἰσελθὼν ἐν αὐταῖς ἐξομολογήσομαι τῷ κυρίῳ· αὕτη ἡ πύλη τοῦ κυρίου· δίκαιοι εἰσελεύσονται ἐν αὐτῇ.» Πολλῶν οὖν πυλῶν ἀνεῳγυιῶν, ἡ ἐν δικαιοσύνῃ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐν Χριστῷ, ἐν ᾗ μακάριοι πάντες οἱ εἰσελθόντες καὶ κατευθύνοντες τὴν πορείαν αὐτῶν ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ, ἀταράχως πάντα ἐπιτελοῦντες.

Intrant igitur ii tantum per portam justitiae sive per portam Christi, qui ipsi justitiam operibus suis paraverint.

Si quis igitur formulam aliquam quaerit, qua Clementis doctrina de fide justificante proposita quam accuratissime significatur, nulla est quae propius ad verum accedere videatur, quam illa quae legitur in capite 9: Ἐν ὑπακοῇ δίκαιον εὑρεθῆναι. Obedientia enim utrumque complectitur, fidem et opera. Per fidem ad promissiones divinas animum advertimus, et ad praecepta ejus observanda prompti paratique reddimur. Quodsi quis ad recte faciendum per fidem commotus est, accedere debent opera, quibus fastigium imponitur justitiae.

Homines autem sola fide justificari asseveravit quidem Clemens capite 32, sed ita ut ex reliquis quas proposuit sententiis facile appareat, eum verba sua, non mentem ad alienam doctrinam applicavisse. Atque jam intelligitur, non forte fortuna accidisse, ut clarissimo illo loco capitis 32 etiam atque etiam voluntatis divinae mentio fiat. Nimirum ad voluntatem divinam omnia referenda sunt: atque ipsa etiam fides licet non ad externam solum mentis persuasionem quae etiam in diabolis locum habere potest (Jac. II, 19), verum etiam ad spem et fiduciam pertineat, tamen ex obedientia pendet, quam homines divinae voluntati debent. Hoc autem Judaismum sapit. Quod intimi pectoris est, id quodammodo inter externa opera refertur. Fides ipsa opus operatum fit: quemadmodum reliquarum virtutum, ita fidei quoque officium exsequimur. Haec prima lex sancitur, ut quisque servet officium suum; qui deest officio, poenis afficitur. Tantum abest, ut fides vis quasi vitalis sit, quae quidquid Deus praecepit sponte efficiat, ut illa ipsa inter singula praecepta Dei referenda sit. Non igitur opera fide, sed fides operibus continetur. Sequitur ut hominibus cum Deo non nisi externa quaedam conjunctio intercedat[1]), neque vero unio illa mystica qua ad vitae et essentiae cum Deo communionem pervenire dicuntur. Propterea Deus apud Clementem Dominus (δεσπότης) sexcenties (cfr. c. 7. 8. 9. 11. 20 [bis]. 24 [bis]. 33 [bis]. 36. 40 [bis]. 48. 49. 52. 55. 56. 58), Pater rarissime appellatur[2]).

[1]) I. e. quod philosophi nostri dicunt. «Gott bleibt dem menschen äuszerlich», «der mensch hat Gott noch auszer sich.»

[2]) Duobus locis c. 19. 35 Deus Pater appellatur utpote creator mundi (πατὴρ καὶ κτιστὴς τοῦ σύμπαντος κόσμου — ὁ δημιουργὸς καὶ πατὴρ τῶν

Quemadmodum igitur epistolae hoc potissimum propositum est, ut Corinthii ad obedientiam presbyterorum reducantur, sic omnia argumenta quibus utitur Clemens in disputando ab ea obedientia petita sunt, quam Christiani Deo debent.

Itaque etiam atque etiam ad voluntatem Dei oratio revertitur, cui voluntati Christiani obedire jubentur c. 9: Διὸ ὑπακούσωμεν τῇ μεγαλοπρεπεῖ καὶ ἐνδόξῳ βουλήσει αὐτοῦ. C. 14: [Δί]καιον καὶ ὅσιον, ἄνδρες ἀδελφοί, ὑπηκόους ἡμᾶς μᾶλλον γενέσθαι τῷ θεῷ ἢ τοῖς ζήλους ἀρχηγοῖς ἐξακολουθεῖν. C. 19: Ἐμβλέψωμεν τοῖς ὄμμασι τῆς ψυχῆς εἰς τὸ μακρόθυμον αὐτοῦ βούλημα. C. 34: Ὑποτασσώμεθα τῷ θελήματι αὐτοῦ. C. 35: ... Ἐὰν ἐκζητῶμεν τὰ εὐάρεστα καὶ εὐπρόσδεκτα αὐτῷ, ἐὰν ἐπιτελέσωμεν τὰ ἀνήκοντα τῇ ἀμώμῳ βουλήσει αὐτοῦ κτλ. Cfr. etiam c. 36. 41. 56.

Ad hanc obedientiam ante omnia pertinet poenitentia (μετάνοια) [1]: Deus enim vult, ut homines peccatorum poeniteat c. 7. Qua quidem poenitentia efficitur, ut homines olim a Deo alieni jam divinis verbis aures praebeant, misericordiam ejus suppliciter implorent (c. 9) ab eoque petant, ut mentes suas amoris sensu et quavis virtute impleat (c. 50. 58). Quod tamen fieri nequit, nisi quis suis ipsius virtutibus diffidere coeperit, omnem αὐθάδειαν deposuerit, semet ipsum nihil, Deum omnia valere cognoverit. In hac ipsa autem re cernitur ἡ ταπεινοφροσύνη quae reliquarum virtutum fundamentum est. Nam qui animi est submissi et modesti, suasque ipsius vires ne flocci quidem pendit, is demum divinae voluntati optimae illi quidem et potentissimae libenter obtemperat. C. 19: ... Τὸ ταπεινόφρον καὶ τὸ ὑποδεὲς διὰ τῆς ὑπακοῆς, οὐ μόνον ἡμᾶς, ἀλλὰ καὶ τὰς πρὸ ἡμῶν γενεὰς βελτίους ἐποίησεν, τούς τε καταδεξαμένους τὰ λόγια αὐτοῦ ἐν φόβῳ καὶ ἀληθείᾳ. C. 56: Καὶ ἡμεῖς οὖν ἐντύχωμεν περὶ τῶν ἔν τινι παραπτώματι ὑπαρχόντων, ὅπως δοθῇ αὐτοῖς ἐπιείκεια καὶ ταπεινοφροσύνη, εἰς τὸ εἶξαι αὐτοὺς μὴ ἡμῖν ἀλλὰ τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ. Cfr. etiam c. 2. 13. 16. 17. 18. 21. 30. 31. 38. 44. 48.

αἰώνων). Duobus reliquis locis c. 23. 29 de misericordia et beneficientia Dei sermo est (ὁ εὐεργετικὸς πατήρ — ὁ ἐπιεικὴς καὶ εὔσπλαγχνος πατήρ). Nullus gitur exstat locus, qui ad praeclaram Pauli sententiam accedat, quae expressa est Rom. VIII, 15 sqq. Gal. III, 24 sqq.; IV, 1 sqq. 21 sqq. alibi.

[1]) Cfr. *Gundert*, l. c. p. 472 sqq.

Est autem Dei voluntas in duabus rebus conspicua, in verbis et in factis. Quocirca disputationem sic instituit Clemens, ut modo Dei praecepta ex V. T. diserte produceret, modo ipsius Dei exemplo quid justum bonum et honestum esset illustraret.

Ac primum quidem commemorantur λόγια, λόγοι, νόμοι, νόμιμα, προστάγματα, δικαιώματα, παραγγέλματα, ἐντολαὶ τοῦ θεοῦ, quibus Christianis quam religiosissime morem gerere decet. C. 1: Τοῖς νόμοις τοῦ θεοῦ ἐπορεύεσθε. C. 2: Προσέχοντες τοὺς λόγους αὐτοῦ ἐπιμελῶς. Ibid.: Τὰ προστάγματα καὶ τὰ δικαιώματα τοῦ κυρίου ἐπὶ τὰ πλάτη τῆς καρδίας ὑμῶν ἐγέγραπτο. C. 3: Ἐν τοῖς νομίμοις τῶν προσταγμάτων αὐτοῦ πορεύεσθαι. C. 13: [Ταύτῃ] τῇ ἐντολῇ καὶ τοῖς παραγγέλ[μασι] τούτοις στηρίξωμεν ἑαυ[τοὺς πρὸς] τὸ πορεύεσθαι ὑπηκοόυς [ἡμᾶ]ς τοῖς ἁγιοπρεπέσι λόγοις αὐ[τοῦ]. C. 19: Τοὺς καταδεξαμένους τὰ λόγια αὐτοῦ. C. 40: Τοῖς νομίμοις τοῦ δεσπότου ἀκολουθοῦντες οὐ διαμαρτάνουσιν. C. 50: Μακάριοί ἐσμεν, εἰ τὰ [προσ]τάγματα τοῦ θεοῦ ἐποιοῦμεν. Eodem pertinet quod Clementem sententias suas et admonitiones utique V. T. testimoniis, interdum etiam ipsius Domini nostri Jesu Christi verbis confirmasse videmus.

Sed etiam ex iis ipsis quae Deus prodidit recte faciendi exemplis intelligi licet, quid cum voluntate divina conveniat. Sic capite 19 Corinthii ut tranquillam dispositamque vitam agant admonentur. Cui admonitioni statim adduntur haec: Ἀτενίσωμεν εἰς τὸν πατέρα καὶ κτιστὴν τοῦ σύμπαντος κόσμου, καὶ ταῖς μεγαλοπρεπέσι καὶ ὑπερβαλλούσαις αὐτοῦ δωρεαῖς τῆς εἰρήνης εὐεργεσίαις τε κολληθῶμεν. Ἴδωμεν αὐτὸν κατὰ διάνοιαν, καὶ ἐμβλέψωμεν τοῖς ὄμμασι τῆς ψυχῆς εἰς τὸ μακρόθυμον αὐτοῦ βούλημα. Νοήσωμεν, πῶς ἀόργητος ὑπάρχει πρὸς πᾶσαν τὴν κτίσιν αὐτοῦ. Ut autem ex ipsius Dei exemplo τὸ μακρόθυμον αὐτοῦ βούλημα cognoscatur, capite 20 tota rerum natura perlustratur, et omnia ordine disposita et ad certas quasdam leges ac regulas conformata esse demonstrantur.

Quae quum ita sint, nemo mirabitur, si apud Clementem omnia ad voluntatem divinam recte religioseque exsequendam relata sunt. Quum autem duae res ut supra monuimus ad voluntatem divinam recte exsequendam pertineant, primum ut prompto paratoque animo illi aures praebeamus, deinde ut totam vitam nostram ad illam conformemus, fieri non potest, quin ad recte pieque faciendum Christiani etiam atque etiam admoneantur. Sic praeter singulas hospi-

talitatis, beneficientiae, lenitatis, temperantiae virtutes — de quibus virtutibus infra uberius agendum erit, si de causis sermonem instituerimus quae Clementem ad scribendum commoverint — imprimis commendatur pietas erga Deum (ἡ εὐσέβεια) c. 1. 2. 11. 15, vel religiosa Dei verecundia (φόβος τοῦ θεοῦ) c. 2. 3. 21. 23. 28. 45. 51. Quum vero bona opera cum divina voluntate conveniant, quandoquidem Christianorum est ea quae Deo placent perficere (τὰ εὐάρεστα καὶ εὐπρόσδεκτα αὐτῷ cfr. c. 7. 21. 35. 40), enixo studio ad bona opera perpetranda nos applicare debemus. C. 34: Ὁ ἀγαθὸς ἐργάτης μετὰ παῤῥησίας λαμβάνει τὸν ἄρτον τοῦ ἔργου αὐτοῦ, ὁ νωθρὸς καὶ παρειμένος οὐκ ἀντοφθαλμεῖ τῷ ἐργοπαρέκτῃ αὐτοῦ. Δέον οὖν ἐστιν, προθύμους ἡμᾶς εἶναι εἰς ἀγαθοποιΐαν . . . Προτρέπεται οὖν ἡμᾶς ἐξ ὅλης τῆς καρδίας ἐπ' αὐτῷ, μὴ ἀργοὺς, μήτε παρειμένους εἶναι ἐπὶ πᾶν ἔργον ἀγαθόν. C. 33: Ἴδωμεν ὅτι τε ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς πάντες ἐκοσμήθησαν οἱ δίκαιοι· καὶ αὐτὸς οὖν ὁ κύριος, ἔργοις ἑαυτὸν κοσμήσας, ἐχάρη. Ἔχοντες οὖν τοῦτον τὸν ὑπογραμμὸν, ἀόκνως προσέλθωμεν τῷ θελήματι αὐτοῦ· ἐξ ὅλης ἰσχύος ἐργασώμεθα ἔργον δικαιοσύνης. Conferantur etiam c. 2: Οὕτως ... ἐδέδοτο πᾶσιν ... ἀκόρεστος πόθος εἰς ἀγαθοποιΐαν. Ibid.: Ἀμεταμέλητοι ἦτε ἐπὶ πάσῃ ἀγαθοποιΐᾳ, ἕτοιμοι εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν. C. 21: Ὁρᾶτε, μὴ αἱ εὐεργεσίαι αὐτοῦ ... γένωνται εἰς κρίμα πᾶσιν ἡμῖν, ἐὰν μὴ ἀξίως αὐτοῦ πολιτευόμενοι τὰ καλὰ καὶ εὐάρεστα ἐνώπιον αὐτοῦ ποιῶμεν. C. 30: Ἡ μαρτυρία τῆς ἀγαθῆς πράξεως ἡμῶν διδόσθω ὑπ' ἄλλων. Quibus quidem locis denique addantur ii, in quibus sanctitas (ἁγιασμὸς) vel abstinentia (ἐγκράτεια) laudibus efferuntur cfr. c. 29. 30. 35. 38.

Sed quotiescunque de bonis operibus Clemens locutus est, ne uno quidem verbo arctissimam illam necessitudinem exposuit, quae ex Paulina sententia inter fidem et opera intercedit. In eo tantum Clemens prorsus cum apostolo consentit, quod Christianos divina praecepta tota pectore amplecti et tanquam in succum et sanguinem convertere jubet. Cfr. c. 2: Τὰ προστάγματα καὶ τὰ δικαιώματα τοῦ κυρίου ἐπὶ τὰ πλάτη τῆς καρδίας ὑμῶν ἐγέγραπτο.

Nimirum amore perducimur, ut Dei voluntati morem geramus. Quemadmodum enim Deus benignitatis exemplar nobis exhibuit splendidissimum, ita nostrum est, tale exemplum imitantes ad man-

data divina persequenda animum intendere. Nam qui amore erga Deum incensi sunt, ii mandata ejus perficiunt. Conferatur caput 49, quod totum versatur in amoris laudibus praedicandis. Atque eodem redeunt, quae aliis quibusdam locis leguntur cfr. c. 21. 29. 50.

C. 49: Ὁ ἔχων ἀγάπην ἐν Χριστῷ, τηρησάτω τὰ τοῦ Χριστοῦ παραγγέλματα. Τὸν δεσμὸν τῆς ἀγάπης τοῦ ϑεοῦ τίς δύναται ἐξηγήσασϑαι; Τὸ μεγαλεῖον τῆς καλλονῆς αὐτοῦ τίς ἀρκεῖ ὡς ἔδει εἰπεῖν; Τὸ ὕψος, εἰς ὃ ἀνάγει ἡ ἀγάπη, ἀνεκδιήγητόν ἐστιν. Ἀγάπη κολλᾷ ἡμᾶς τῷ ϑεῷ· ἀγάπη καλύπτει πλῆϑος ἁμαρτιῶν· ἀγάπη πάντα ἀνέχεται, πάντα μακροϑυμεῖ· οὐδὲν βάναυσον ἐν ἀγάπῃ, οὐδὲν ὑπερήφανον· ἀγάπη σχίσμα οὐκ ἔχει, ἀγάπη οὐ στασιάζει, ἀγάπη πάντα ποιεῖ ἐν ὁμονοίᾳ· ἐν τῇ ἀγάπῃ ἐτελειώϑησαν πάντες οἱ ἐκλεκτοὶ τοῦ ϑεοῦ· δίχα ἀγάπης οὐδὲν εὐάρεστόν ἐστιν τῷ ϑεῷ. Ἐν ἀγάπῃ προσελάβετο ἡμᾶς ὁ δεσπότης· διὰ τὴν ἀγάπην, ἣν ἔσχεν πρὸς ἡμᾶς, τὸ αἷμα αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ κύριος ἡμῶν, ἐν ϑελήματι ϑεοῦ, καὶ τὴν σάρκα ὑπὲρ τῆς σαρκὸς ἡμῶν, καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν. — C. 21: Μαϑέτωσαν, ... τί ἀγάπη ἁγνὴ παρὰ τῷ ϑεῷ δύναται. C. 29: Προσέλϑωμεν οὖν αὐτῷ ... ἀγαπῶντες τὸν ἐπιεικῆ ... πατέρα ἡμῶν. C. 50: Ὁρᾶτε, ἀδελφοὶ, πῶς μέγα καὶ ϑαυμαστόν ἐστιν ἡ ἀγάπη, καὶ τῆς τελειότητος αὐτῆς οὐκ ἔστιν ἐξήγησις. Τίς ἱκανὸς ἐν αὐτῇ εὑρ[εϑῆναι], εἰ μὴ οὓς ἂν καταξιώσῃ [ὁ ϑεός; Εὐχώμε]ϑα οὖν καὶ αἰτώμεϑα ἀπ[ὸ τοῦ ἐλέ]ους αὐτοῦ, ἵνα ἐν ἀγάπῃ [ζῶμεν]. ... Οἱ ἐν ἀγάπῃ τελειωϑέν[τες], κατὰ τὴν τοῦ ϑεοῦ χάριν, ἔχ[ουσιν] χῶρον εὐσεβῶν, οἳ φανερ[οῦν]ται ἐν τῇ ἐπισκοπῇ τῆς βασιλ[είας] τοῦ Χριστοῦ ... Μακάριοί ἐσμεν, ἀγαπητοὶ, εἰ τὰ [προσ]τάγματα τοῦ ϑεοῦ ἐποιοῦμεν ἐ[ν ὁ]μονοίᾳ ἀγάπης, εἰς τὸ ἀφεϑῆ[ναι] ὑμῖν δι' ἀγάπης τὰς ἁμαρτίας ἡ[μῶν].

Quae quidem omnia ad Pauli sententiam proxime accedere non est quod uberius exponamus. Quin adeo Clemens Paulum imitatus est, ut quae capite 49 de amoris vi et indole exponuntur iisdem fere verbis expressa sint, quibus apostolum in clarissimo capite 13 primae epistolae ad Corinthios scriptae usum esse scimus.

Nihilominus caveas ne Clementem hac in re plane cum Paulo consentire existimes. Paulum enim si audieris, intelliges fidei esse, per amorem bona opera perficere (Gal. V, 6): Clemens fidem omittit, et ipso amore peccatorum remissionem effici putat. Quin in ipso illo capite 49 ad similitudinem Paulini loci

conformato reperiuntur verba ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν quae non a Paulo Apostolo, sed ex epistola *Jacobi* (V, 14) petita sunt.

§. 4.

De Christi merito et persona[1]).

Reliquum est, ut de Christi merito et persona verba faciamus. Ac primo quidem aspectu omnia quae de Christi opere ac de communione Christum inter et fideles intercedente docentur, genuinam Pauli sententiam prodere dixeris.

Christum enim salutis nostrae auctorem esse, plus uno loco a Clemente ostenditur. Sumus enim per Christum vocati et electi c. 50: Τοὺς ἐκλελεγμένους ὑπὸ τοῦ θεοῦ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμ[ῶν]. C. 58: ... Ὁ ἐκλεξάμενος (sc. θεὸς) [τὸ]ν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ ἡμᾶς δι᾽ αὐτοῦ εἰς λαὸν περιούσιον. C. 59: Ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεθ᾽ ὑμῶν, καὶ μετὰ πάντων πανταχῇ τῶν κεκλημένων ὑπὸ τοῦ θεοῦ καὶ δι᾽ αὐτοῦ.

Quae quidem vocatio non solum per Christum, sed etiam in Christo facta esse dicitur: est igitur Christus non tam instrumentum quam ipsum ut ita dicam principium vocationis c. 32: Ἐν Χριστῷ κληθέντες cfr. etiam c. 46: Ἢ οὐχὶ ἕνα θεὸν ἔχομεν καὶ ἕνα Χριστόν; καὶ ἓν πνεῦμα τῆς χάριτος τὸ ἐκχυθὲν ἐφ᾽ ἡμᾶς, καὶ μία κλῆσις ἐν Χριστῷ[2]); Nimirum haec ipsa vocatio quae per Christum et in Christo facta est, etiam commune quoddam vinculum est, quod Christianos homines cum Christo et vero etiam inter semet ipsos conjungit. Per divinam enim voluntatem ii, qui in Christo vocati sunt, fide justificantur c. 32: Καὶ ἡμεῖς οὖν διὰ θελήματος αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, οὐ δι᾽ ἑαυτῶν δικαιούμεθα ... ἀλλὰ διὰ τῆς πίστ[ε]ως. Atque idem inesse videtur in verbis

---

[1]) Cfr. *Ritschl*, l. c. 287—289. *Lechler*, Apostol. Zeitalter, p. 311 sq. *Reuss*, Histoire de la théol. chrét., II, 613—616. *Hilgenfeld*, Apostol. Väter, 87. *Gundert*, Zeitschr. für luther. Theol. (1854), p. 465 sqq. De persona ac divina dignitate Christi disputaverunt imprimis *Dorner*, Entwickelungsgeschichte, I, 135—142. *Hellwag*, Die vorstellung von der präexistenz Christi in der ältesten kirche. Theol. Jahrb. (1848), p. 254 sq.

[2]) Cfr. Eph. IV, 4—7.

capitis 48, ubi porta justitiae de qua scriptura loquatur (ἡ πύλη ἡ ἐν δικαιοσύνῃ) appellata sit porta Christi ἡ πύλη ἡ ἐν Χριστῷ. Cum quibus optime convenire videtur quod Paulina formula ἐν Χριστῷ etiam aliis locis epistolae reperitur. Educatio liberorum appellatur ἡ ἐν Χριστῷ παιδεία c. 21. Fides Christianorum est ἡ ἐν Χριστῷ πίστις c. 22, amor eorum ἡ ἐν Χριστῷ ἀγάπη c. 49, tota denique vita eorum ἡ ἐν Χριστῷ ἀγωγή c. 47. Quid quod proxime accessit Clemens ad mysticam illam quam Paulus docuit Christi et Christianorum communionem. Totum enim corpus Christianorum in Christo salvum conservari dicitur c. 38: Σωζέσθω οὖν ἡμῶν ὅλ[ον] τὸ σῶμα ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Singuli autem Christiani membra sunt Christi c. 46: Ἵνα τί διέλκομεν καὶ διασπῶμεν τὰ μέλη τοῦ Χριστοῦ; καὶ στασιάζομεν πρὸς τὸ σῶμα τὸ ἴδιον;

Haec omnia satis demonstrare videntur, Clementis doctrinam omnibus ex partibus cum Paulina convenire [1]).

Sed si paullo accuratius rem perquirimus, multa offendimus quae a Paulo apostolo discrepent. Recordemini eorum quae capite superiore de fidei indole disputavimus. Fidei objectum non est Christus, sed Deus; ἡ ἐν Χριστῷ πίστις autem non illa fides est quae in mystica illa Christi communione cernitur, sed fides quae in Christo tanquam divinae voluntatis interprete nititur. Pertinet igitur non tam ad Christi personam quam ad Christi praecepta. Similiter ἀγάπη ἐν Χριστῷ non amor est qui vitam nostram cum Christi vita arctissime conjungat, sed qui in Christo tanquam auctore positus est. Ἐν praepositio nihil fere aliud significat nisi διά, et illa communio quae cum Christo est plerumque refertur ad beneficia, quae per Christum vel a Christo accepimus.

Addas, quae de justificatione supra exposuimus. Justificatio nequaquam sola fide perpetratur, sed obedientia quae fidem et reliqua opera simul complectitur; capitis autem 32 verba ad Pauli quidem neque vero ad ipsius Clementis sensum conformata sunt. Itaque porta quidem justitiae appellatur ἡ ἐν Χριστῷ c. 48 (cfr. ea quae p. 68 sq. de hoc loco disputavimus), sed hoc nequaquam hanc vim habet, ut per unum Christum homines justificari dicantur. Imo et antea et postea opera commendantur. Verba πύλη δικαιοσύνης κτλ·

---

[1]) Paul. Rechtfertigungslehre, p. 121 sqq.

per γαρ antecedentibus annexa sunt: inculcant igitur causam quae nos commovere debeat, ut suppliciter fiendo Deum imploremus, ut propitius factus nobis reconcilietur et ad fraternum amorem nos reducat [1]). Cernitur igitur justitia in hoc ipso potissimum fraterno amore, et causa quae nos ad poenitendum commoveat ea est, quod per justitiam illam demum ad salutem pervenire possumus. Ac justitia quidem quodammodo in Christo tanquam auctore nititur: porta justitiae quae ad vitam ducit per Christum aperta est: jam reliquum est, ut per illam portam intrantes revera ad salutem pervenire studeamus, ipsi viam nobis munientes, ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ (i. e. δικαιοπραγίᾳ c. 32), ἀταράχως πάντα ἐπιτελοῦντες. Commemorantur igitur opera etiam praeter Christum tamquam causae salutis: non igitur unus Christus suo proprio ac praecipuo merito homines salvos reddit[2]).

Quod nemo mirabitur, qui iis fidem habuerit, quae supra exposuimus de obedientiae operibus salutem efficientibus. Nam si salus iis proponitur, qui Dei mandatis obtemperant, Christiana religio aut nihil aut parum differt a Judaismo: externa opera plurimum valent, licet fides una cum operibus necessaria esse dicatur. Sic autem fieri non potest, ut ad unum Christum omnia referantur. Non negatur, Christum auctorem salutis esse; sed accedere debent opera: hominibus aliquid reliqui fecit Christus quod addant ad salutem suam perpetrandam. Quod quantum a Paulina doctrina discedat supersedeo demonstrare. Paulum enim si audis, operibus quidem opus est, sed non ad salutem parandam: salus enim per Christum jam parata est, opera autem fructus sunt novae vitae in Christi communione initae; ad salutem parandam ne tantulum quidem valent.

Hinc efficitur, ut ne iis quidem Clementis locis in quibus communio fidelium cum Christo inita commemoratur, multum auctori-

[1]) Cfr. quae antegressa sunt: Ἐξάρωμεν οὖν τοῦτο ἐν τάχει, καὶ προσπέσωμεν τῷ δεσπότῃ, καὶ κλαύσωμεν ἱκετεύοντες αὐτόν, ὅπως ἵλεως γενόμενος ἐπικαταλλαγῇ ἡμῖν, καὶ ἐπὶ τὴν σεμνὴν τῆς φιλαδελφίας ἡμῶν [καὶ] ἁγνὴν ἀγωγὴν ἀποκαταστήσῃ ἡμᾶς. Πύλη γὰρ κτλ.

[2]) *Reuss*, l. c. II, 613: C'est donc notre amendement, qui est à vrai dire la cause directe de notre salut.

tatis tribuendum sit. Nam verbis quidem Clemens imitatus est apostolum, re nonnihil ab illo discessit. Apud Paulum ad mysticam Christianorum cum Domino unionem omnia pertinent: est illa unio tanquam cardo Paulinae doctrinae. Clemens formulis quidem Paulinis usus est, sed arcanam corum vim et significationem ignoravit. Novae enim vitae principium non Christus est in animo nostro vivens, sed obedientia quae mandata divina exsequitur.

Itaque totum Christi meritum cernitur in eo, quod hominibus facultatem dederit voluntati divinae obtemperandi.

Nam primum quidem docendi munere fungitur Christus: divinam enim voluntatem hominibus interpretatur, eosque ad interiora sapientiae (γνώσεως) penetralia introducit. Cujus rei testimonium repetitur a c. 36 ubi haec scripta exstant: Διὰ τούτου (Ἰ. Χρ.) ἀτενίζομεν εἰς τὰ ὕψη τῶν οὐρανῶν, διὰ τούτου ἐνοπτριζόμεθα τὴν ἄμωμον καὶ ὑπερτάτην ὄψιν αὐτοῦ, διὰ τούτου ἠνεῴχθησαν ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοὶ τῆς καρδίας, διὰ τούτου ἡ ἀσύνετος καὶ ἐσκοτωμένη διάνοια ἡμῶν ἀναθάλλει εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς, διὰ τούτου ἠθέλησεν ὁ δεσπότης τῆς ἀθανάτου γνώσεως ἡμᾶς γεύσασθαι (cfr. quae supra exposuimus, ubi de γνώσει Clementis verba fecimus). Quocirca interdum verba Christi afferuntur quibus virtutes cum divina voluntate convenientes nos docuerit. C. 13: Ποιήσωμ[εν] τὸ γεγραμμένον . . . μάλιστα μεμνημένοι τῶν λόγων τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, οὓς ἐλάλησεν, διδάσκω[ν] ἐπιείκειαν καὶ μακροθυμίαν. [Οὕ]τως γὰρ εἶπεν· ἐλεεῖτε ἵνα ἐλεη[θῆ]τε κτλ. Sequuntur verba Christi quae in canonicis evangeliis αὐτολεξεὶ non habentur (cfr. *Hilgenfeld*, l. c. 104). Deinde pergit: [Ταύτῃ] τῇ ἐντολῇ καὶ τοῖς παραγγέλ[μασι] τούτοις στερίξωμεν ἑαυ[τοὺς πρὸς] τὸ πορεύεσθαι ὑπηκόους [ἡμᾶ]ς τοῖς ἁγιοπρεπέσι λόγοις αὐ[τοῦ]. C. 46: Μνήσθητε τῶν λόγων Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν. Εἶπε γάρ· οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ κτλ. (*Hilgenfeld*, l. c.). C. 49: Ὁ ἔχων ἀγάπην ἐν Χριστῷ, τηρησάτω τὰ τοῦ Χριστοῦ παραγγέλματα. Cfr. etiam c. 2. 22.

Nec tamen verborum solum, sed etiam exempli Christi mentio injicitur. Nam ii tantum salutis per Christum oblatae participes fieri dicuntur, qui luculentissimum quod ille proposuit modestiae exemplum imitantur. Tantum enim abest, ut Dominus noster magnos sibi sumserit spiritus, ut humillima specie indutus gravissimis

contumeliis se affici passus sit[1]). Jam ut omnis dubitatio tollatur, capite 16 clarissimum illud LIII Jesaiae caput in medium profertur, cui additur Ps. XXII, 6—8, quem locum Clemens itidem ut locum Jesaiae de Messiae doloribus et humilitate interpretabatur. Utroque loco proposito Corinthii ut Christi exemplum imitentur his verbis admonentur: Ὁρᾶτε, ἄνδρες ἀγαπητοί, τίς ὁ ὑπογραμμὸς ὁ δεδομένος ἡμῖν· εἰ γὰρ ὁ κύριος οὕτως ἐταπεινοφρόνησεν, τί ποιήσομεν ἡμεῖς, οἱ ὑπὸ τὸν ζυγὸν τῆς χάριτος αὐτοῦ δι' αὐτοῦ ἐλθόντες; Atque quae postremo loco leguntur verba vix ita explicanda sunt, ut de Paulina gratiae notione cogitemus. Χάρις omnino clementiam Christi significat; verba autem οἱ ὑπὸ τὸν ζυγὸν ἐλθόντες Christum pro sua clementia magnis nos beneficiis exornavisse exornatosque ita sibi devinxisse indicant, ut benignitati ejus tanquam subditi ac subjecti simus.

Submissi autem animi exemplum quod Christus nobis proposuit, quum in vita tum vero etiam in morte ejus cernitur. Nam ipse quidem Clemens licet mortem ejus capite 16 non diserte commemoret, tamen ex Jesaiano illo loco satis intelligitur, τὴν ταπεινοφροσύνην non solum ad vitae humilem et ignobilem conditionem, acerbissimasque quas aequales in illum contulerunt contumelias, sed etiam ad mortem pro peccatorum salute susceptam referendam esse[2]). Atque hoc ipsum capite 49 confirmatur, ubi Christus ex voluntate Dei mortem passus esse dicitur: Τὸ αἷμα αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν, ἐν θελήματι θεοῦ.

Exhibetur igitur Christi morte animi submissi ac modesti exemplum, quod imitari debemus Domini passiones etiam atque etiam ante oculos nobis ponentes. Cfr. c. 2: Τὰ παθή-

---

[1]) C. 16: Ὁ κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπτῳ ἀλαζονείας οὐδὲ ὑπερηφανίας, καίπερ δυνάμενος, ἀλλὰ ταπεινοφρονῶν.

[2]) Errant *Ritschl*, Altkathol. Kirche, p. 289 et *Hilgenfeld*, Apostol. Väter, p. 106, qui ad exemplum quod Christus dederit referenda censent verba capitis 33: Καὶ αὐτὸς οὖν ὁ κύριος ἔργοις ἑαυτὸν κοσμήσας ἐχάρη. Ἔχοντες οὖν τοῦτον τὸν ὑπογραμμόν, προσέλθωμεν τῷ θελήματι αὐτοῦ κτλ. At κύριος non Christum sed Deum significat: opera enim quibus Dominus gavisus esse dicitur lucem accipiunt ex iis, quae proxime antegressa sunt: Ταῦτα οὖν πάντα τελειώσας ἐπῄνεσεν αὐτὰ καὶ ηὐλόγησεν καὶ εἶπεν· αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε. Exemplum igitur quod nobis imitandum proponitur, non est Christi, sed Dei.

ματα αὐτοῦ ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν. C. 7: [Ἀτενίσω]μεν εἰς τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, [καὶ ἴδ]ωμεν κτλ.[1]).

Sed accedit etiam, quod morte Christi poenitentiae gratia nobis oblata est. Cap. 7: Διὸ ἀπολείπωμεν τὰς κενὰς [καὶ] ματαίας φροντίδας, καὶ ἔλθω[μεν] ἐπὶ τὸν εὐκλεῆ καὶ σεμνὸν τ[ῆς ἁγίας κλή]σεως ἡμῶν κανόνα. [Βλέπω]μεν, τί καλὸν, καὶ τί τερπνὸν [καὶ προ]σδεκτὸν ἐνώπιον τοῦ ποι[ήσαντ]ος ἡμᾶς. [Ἀτενίσ]ωμεν εἰς τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ [καὶ ἴδ]ωμεν, ὥς ἐστιν τίμιον τῷ θεῷ [αἷμα] αὐτοῦ, ὅ τι διὰ τὴν ἡμετέραν [σωτ]ηρίαν ἐκχυθὲν παντὶ τῷ κό[σμ]ῳ μετανοίας χάριν ὑπήνεγκεν. Haec verba hanc habent vim, ut Christi sanguis propter nostram salutem effusus esse dicatur. Sed salutis is demum particeps fit, quem peccatorum suorum poenituit. Itaque Christi mors hoc valuit, ut universo orbi terrarum poenitentiae gratiam offerret, i. e. ut omnes homines ad poenitentum commoveret. Hoc vero idem est, quod olim Noë et Jonas effecisse narrantur: nam hi quoque quum poenitentiae praecones essent, omnes qui praeconio obtemperabant, ad salutem perduxerunt[2]). Cfr. quae statim post illa verba quae citavimus leguntur:

[Ἀνέλθ]ωμεν εἰς τὰς γενεὰς πάσας, [καὶ κα]ταμάθωμεν, ὅτι ἐν γενεᾷ [καὶ] γενεᾷ μετανοίας τόπον ἔδω[κ]εν ὁ δεσπότης τοῖς βουλομένοις ἐπιστραφῆναι ἐπ' αὐτόν. Νῶε ἐκήρυξεν μετάνοιαν, καὶ οἱ ὑπακούσαντες ἐσώθησαν. Ἰωνᾶς Νινευΐταις καταστροφὴν ἐκήρυξεν· οἱ δὲ μετανοήσαντες ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν αὐτῶν ἐξιλάσαντο τὸν θεὸν ἱκετεύσαντες, καὶ ἔλαβον σωτηρίαν, καίπερ ἀλλότριοι τοῦ θεοῦ ὄντες. Salus igitur non sola Christi morte perpetrata est. Sed poenitentia principium salutis est, sive a Christo, sive a Noë vel Jona oblata sit. Omnibus temporibus Deus poenitentiae occasionem dedit iis qui ad ipsum reverti vellent: praecones exstiterunt poenitentiae, et qui praeconio obedivissent salvi redditi sunt, supplicibus precibus Deum placantes. Denuo igitur salus arctissime cum obedientia conjungitur: obtemperare debemus divino praeconio, quod poenitentiam agere homines jubet. Qui poenitentiam praeconati sunt, ii voluntatem divinam declaraverunt; quam si quis poenitendo et suppliciter precando persecutus fuerit salvus erit.

---

[1]) Cfr. 1 Petr. II, 21: Χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν, ὑμῖν ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν, ἵνα ἐπακολουθήσητε τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ.

[2]) Cfr. *Gundert*, l. c. p. 467.

Quemadmodum olim Noae et Jonae praeconio, sic nunc Christi sanguine pretiosissimo poenitentia offertur: debemus igitur animum ad id quod Deo gratum est applicare, et sanguinem Christi intuentes poenitentiam agere.

At quo tandem pacto fit, ut Christi mors ad poenitendum nos commoveat? Nimirum de hac re nihil diserte locutus est Clemens. Caveas, ne temere respondeas, propterea quod pro nobis mortuus sit. Nam ex capite 7 satis apparet, Christi sanguinem propterea nobis salutem parare, quod poenitentiae gratiam offerat; neque vero vice versa propterea poenitentiae gratiam nobis offerre, quod propter salutem nostram effusus sit.

Imo respondendum est, Christi sanguinem ideo poenitentiam efficere, quia summum modestiae et obedientiae exemplum ante oculos ponat (c. 16): revertimur igitur ad hanc ipsam mortis Christi vim quam jam antea exposuimus [1]).

Sed libenter concedo, accedere ad Christi obedientiam quae nos quoque obedientes reddat etiam aliam quandam mortis ejus significationem. Nimirum in hac Domini morte summi amoris exemplum conspicuum est. Cfr. cap. 49: Διὰ τὴν ἀγάπην, ἣν ἔσχεν πρὸς ἡμᾶς, τὸ αἷμα αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ κύριος ἡμῶν, ἐν θελήματι θεοῦ, καὶ τὴν σάρκα ὑπὲρ τῆς σαρκὸς ἡμῶν, καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

Jam Christi sanguis hanc vim et efficaciam habere dicitur, ut luculentissimo ante oculos posito amoris exemplo, hominum animos amoris erga Christum ac Deum sensu impleat. Sic autem efficitur, ut peccatorum nos poeniteat, ut omnem arrogantiam missam faciamus, denique ut pia mente divinam legem observantes, justi coram Deo reddamur et digni in quibus aeternae salutis beneficia collocentur [2]).

Conferas porro cap. 21: Τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, οὗ τὸ αἷμα ὑπὲρ ἡμῶν ἐδόθη, ἐντραπῶμεν. Christus pro nobis sanguinem profudisse dicitur, h. e. ad salutem nobis patrandam

---

[1]) Cfr. *Gundert*, l. c.

[2]) Cfr. quae exposuimus p. 72 sqq. Huc pertinent imprimis haec verba capitum 49 et 50: Ἀγάπη κολλᾷ ἡμᾶς τῷ θεῷ· ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν. — Ἐν τῇ ἀγάπῃ ἐτελειώθησαν πάντες οἱ ἐκλεκτοὶ τοῦ θεοῦ. C. 50: Οἱ ἐν ἀγάπῃ τελειωθέν[τες] — ἔχου[σιν] χῶρον εὐσεβῶν.

(διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν c. 7). Nulla enim necessitas nobis imposita est, qua illud ὑπὲρ ἡμῶν ad vicariam vel satisfactoriam quae vocatur Christi mortem referre cogamur. Ὑπὲρ praepositionem autem utrumque significare posse in vulgus notum est. Quod autem Corinthii Christum ἐντρέπεσθαι jubentur, id videtur ad splendidissimum quod Christus exhibuit obedientiae et vero etiam amoris exemplum pertinere.

Nam ἐντρέπεσθαι verbum si cum accusativo personae conjungitur, significat animum ad aliquem advertere, aliquem vereri, cfr. Mt. XXI, 37; Lc. XVIII, 2, 4. Jam vero verbis οὗ τὸ αἷμα — ἐδόθη causa affertur, quae animos nostros ut Christum pia mente vereamur et summa veneratione colamus impellat.

Cui loco addidisse juvabit quae in capite 2 leguntur: ... Καὶ προσέχοντες τοὺς λόγους αὐτοῦ ἐπιμελῶς, ἐστερνισμένοι ἦτε τοῖς σπλάγχνοις, καὶ τὰ παθήματα αὐτοῦ ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν. Nam quidquid statuas de verbi στερνίζεσθαι significatione, certe τὰ σπλάγχνα non ad mentem, cui mandata Christi tamquam infixa haerent, quam ad amoris sensum pertinent quo pectora Corinthiorum perfusa fuerunt, cfr. 2 Cor. VI, 12; VII, 15. Phil. I, 8; II, 1. Col. III, 12. Philem. 7. 12. 20. Lc. I, 78. Στερνίζεσθαι verbum significat non tam dilatari, ut sensu passivo intelligendum sit, quam complecti, in pectus admittere [1]). Objectum autem ad ἐστερνισμένοι intelligendum esse videtur non tam τοὺς λόγους αὐτοῦ (*Wotton.*) quam simplicissime αὐτὸν (i. e. Χριστὸν). Jam illa verba mihi hoc modo videntur vertenda esse: « et ad verba ejus diligenter animum advertentes, amore eum complexi estis, et passiones ejus ante oculos vobis obversabantur ». Quae quum ita sint, postrema verba καὶ τὰ παθήματα κτλ. explicandi gratia addita esse videntur. Nam praeterquam quod verba et mandata Christi jam per se ipsa diligenter servanda sunt, etiam summus Christi erga homines amor qui in morte ejus conspicuus est, nos quoque amore erga illum incendere, et ad verba ejus tanto diligentius tenenda impellere dicitur.

---

[1]) Cfr. quos *Clericus* et *Wottonus* contra *Cotelerium* protulerunt veterum scriptorum locos. Verum vidit etiam *Hilgenfeld*, Apostol. Väter, p. 55, not. 4.

Sed ne illa quidem sententia, qua mors Christi vicaria fuisse putatur, plane a Clemente videtur aliena esse. Jam in capitis 49 loco, quem supra exscripsimus, insunt verba aliqua, quae de vicaria morte explicari posse equidem cum *Dornero* [1]) contenderim. Sunt enim haec: (Ἔδωκεν) τὴν σάρκα ὑπὲρ τῆς σαρκὸς ἡμῶν. Haec enim non significare possunt: Christus carnem dedit suam ut nostram carnem beatam redderet; sed nil nisi hoc: Christus carnem dedit suam ut ne nostra caro interiret, aeternis poenis affecta. Sed mirum me habet, quod *Dorner* omisit eum locum, qui multo luculentius demonstrat, Christi mortem etiam ex Clementis sententia mortem esse vicariam. Eum locum dico, qui legitur in capite 12: Καὶ προσέθεντο αὐτῇ δοῦναι σημεῖον, ὅπως κρεμάσῃ ἐκ τοῦ οἴκου αὐτῆς κόκκινον· πρόδηλον ποιοῦντες, ὅτι διὰ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου λύτρωσις ἔσται πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν καὶ ἐλπίζουσιν ἐπὶ τὸν θεόν. Haec verba non aliam interpretationem patiuntur nisi hanc, quae proxime ad Pauli doctrinam accedit. Diserte enim dicuntur morte Christi expiata esse peccata eorum, qui spem et fiduciam in Deo posuerint. Neque id contrarium est Paulinae doctrinae, quod fideles tantum peccatorum veniam Christi morte accipere dicuntur [2]).

Sed ob id ipsum, quod spes et fides apud Clementem alia significant quam apud Paulum, tota doctrina de hac re proposita nonnihil mutata est. Paulus censuit, Christianos homines tum demum Christi mortis participes fieri, si arctissime cum illo conjuncti mortem ejus in ipsorum animis imitarentur; Clemens censuit, Christum mortuum esse pro nobis, sed nostrum esse, poenitentia, nova obedientia, precatione Dei gratiam implorare. Paulus propter mysticam illam quam plurimi fecit Christianorum cum Domino conjunctionem nostram mortem existimavit Christi morte jam contineri [3]), cfr. 2 Cor. V, 15: Εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον. Clemens non ausus est, vicariam Christi mortem negare: noluit enim Paulo apostolo obloqui; sed quo pacto illa intelligenda sit, nescivit. Propterea idem fecit, quod eum supra

[1]) Entwicklungsgeschichte, I, 138; cfr. *Lechler*, l. c., p. 312; *Gundert*, l. c., p. 468.

[2]) Cfr. Paulin. Rechtfertigungslehre, p. 128 sqq.

[3]) Ibid., p. 130 sqq.

fecisse videmus: formulis Paulinis usus est, sed sensum apostoli non attigit.

Christi mors exemplum proponit τῆς ταπεινοφροσύνης et obedientiae; propter id ipsum commovere debet nos ut verbis divinis morem geramus, ut animum ad poenitentiam advertamus. Christi mors amoris proponit exemplum luculentissimum; et ob id ipsum novo jam Dei Christique amore incensi, novo obedientiae studio inflammati sumus. Christi mors corpora nostra a morte liberavit, peccata nostra expiavit: jam nostrum est, perficere, quod Christi mors imperfectum reliquit. Nam licet capite 12 Christus peccata expiasse perhibeatur, tamen accedere debet poenitentia vel peccatorum confessio et precatio. Cfr. c. 7: Οἱ μετανοήσαντες κτλ. (locum exhibuimus paullo ante). c. 9: Διὸ ὑπακούσωμεν τῇ μεγαλοπρεπεῖ καὶ ἐνδόξῳ βουλήσει αὐτοῦ, καὶ ἱκέται γενόμενοι τοῦ ἐλέους καὶ τῆς χρηστότητος αὐτοῦ, προσπέσωμεν καὶ ἐπιστρέψωμεν ἐπὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς αὐτοῦ. c. 51: Καλὸν ἀνθρώπῳ ἐξομολογεῖσθαι περὶ τ[ῶν] παραπτωμάτων (cfr. c. 52). c. 2 reperiuntur ea verba, quae supra interpretati sumus. Deinde sequuntur haec: Οὕτως εἰρήνη βαθεῖα καὶ λιπαρὰ ἐδέδοτο πᾶσιν, καὶ ἀκόρεστος πόθος εἰς ἀγαθοποιΐαν κτλ. μεστοί τε ὁσίας βουλῆς .... ἐξετείνατε τὰς χεῖρας ὑμῶν πρὸς τὸν παντοκράτορα θεὸν, ἱκετεύοντες αὐτὸν ἱλέως γενέσθαι, εἴ τι ἄκοντες ἡμάρτετε. Videtur hoc loco precatio non nisi ad ea peccata expianda pertinere, quae inviti et nescientes fecerimus; sed multo latius patet precationis vis in iis verbis, quae in capite 50 expressa sunt: Εὐχώ[με]θα οὖν καὶ αἰτώμεθα ἀπ[ὸ τοῦ ἐλέ]ους αὐτοῦ, ἵνα ἐν ἀγάπῃ [ζῶμεν]. Quae quidem verba si quis ita interpretatus sit, ut haec ipsa precatio Christi beneficio effecta sit, equidem non obstrepuerim. Sed si rem ad vivum resecamus, non negandum est, Clementem his omnibus, quae de Christi merito disputavit, statim addere solere id, quod homines et ipsi facere debeant, si justi ac salvi fieri velint.

Sic post illa, quae sub finem capitis 49 de Christi morte salvifica disputata sunt, de amoris vi verba fiunt ab initio c. 50. Ibi leguntur: Μακάριοί ἐσμεν, ἀγαπητοὶ, εἰ τὰ [προσ]τάγματα τοῦ θεοῦ ἐποιοῦμεν ἐ[ν ὁ]μονοίᾳ ἀγάπης, εἰς τὸ ἀφεθῆ[ναι] ὑμῖν δι' ἀγάπης τὰς ἁμαρτίας ἡ[μῶν]. Verum vidit *Hefele*, qui ad haec verba notavit: «Animadverte, hic Clementem eandem plane vim ca-

ritati ad remissionem peccatorum seu justificationem consequendam tribuere, quam tribuit fidei Apostolus Paulus» [1]). Cum his conferas denique c. 21. Ibi post verba τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἐντραπῶμεν additae sunt singulae singulorum admonitiones. Ibi leguntur etiam haec: Τὰ τέκνα ὑμῶν τῆς ἐν Χριστῷ παιδείας μεταλαμβανέτωσαν· μαθέτωσαν, τί ταπεινοφροσύνη παρὰ θεῷ ἰσχύει, τί ἀγάπη ἁγνὴ παρὰ τῷ θεῷ δύναται, πῶς ὁ φόβος αὐτοῦ καλὸς καὶ μέγας καὶ σώζων πάντας τοὺς ἐν αὐτῷ ὁσίως ἀναστρεφομένους ἐν καθαρᾷ διανοίᾳ. Non opus est verbum de nostris addere: qui opera ad salutem necessaria esse tam diserte confirmat, praesertim quum paullo ante Christi meritum commemoraverit, is Christi mortem non tanti facere potuit quam Paulus olim apostolus. Christi mors non sola salutis causa est; sed illa non nisi viam munivit, quam ingressi ad peccatorum remissionem reconciliationemque cum Deo ineundam pervenire possumus. Perducimur enim Christi morte ad obedientiam illam, quae homines justos salvosque reddit.

Resurrectioni Christi e mortuis factae quid pretii Clemens tribuerit, duobus locis illustratur. Quorum prior ab initio capitis 24 exstat: Κατανοήσωμεν, ἀγαπητοί, πῶς ὁ δεσπότης ἐπιδείκνυται διηνεκῶς ἡμῖν τὴν μέλλουσαν ἀνάστασιν ἔσεσθαι, ἧς τὴν ἀπαρχὴν ἐποιήσατο τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἐκ νεκ[ρῶν] ἀναστήσας. In his verbis quum Christus ἀπαρχὴ τῆς ἀναστάσεως appelletur, Clemens respexisse videtur primam Pauli ad Corinthios epistolam, XV, 20. 23. Quod verum esse etiam ex sequentibus verbis intelligi licet. Ibi granum nudum et aridum in terram demitti dicitur, ut dissolvatur dissolutumque resuscitetur. Haec vero ex eadem quam citavimus Pauli epistola petita esse, vix cuiquam dubium erit [2]).

Sed caveas, ne Clementem prorsus cum Paulo consentire exi-

---

[1]) Cfr. etiam *Ritschl,* l. c. p. 289.

[2]) Paul. 1 Cor. XV, 36 sq.: Σὺ ὃ σπείρεις οὐ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ· καὶ ὃ σπείρεις, οὐ τὸ σῶμα τὸ γενησόμενον σπείρεις, ἀλλὰ γυμνὸν κόκκον, εἰ τύχοι, σίτου ἤ τινος τῶν λοιπῶν· ὁ δὲ θεὸς αὐτῷ δίδωσι σῶμα καθὼς ἠθέλησεν. *Clem.* 24: [Βλέπωμ]εν τοὺς καρπούς· ὁ σπόρος [κόκκου] τίνα τρόπον γίνεται; ἐξῆλ[θεν ὁ σπ]είρων καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν γῆν, [καὶ βληθέ]ντων σπερμάτων, ἅτινα πέ[πτωκεν] εἰς τὴν γῆν ξηρὰ καὶ γυμνὰ, δι[αλύεται]. Εἶτ' ἐκ τῆς διαλύσεως ἡ μεγα[λειότ]ης τῆς προνοίας τοῦ δεσπότου [ἀνίσ]τησιν αὐτὰ, καὶ ἐκ τοῦ ἑνὸς πλεί[ονα α]ὔξει, καὶ ἐκφέρει καρπόν.

stimes. Nimirum Paulus Christi resurrectione nostram resurrectionem tamquam implicite contineri ostendit, siquidem per fidem quum ad mortis tum ad resurrectionis ejus communionem pervenerimus [1]). Sic igitur nullum amplius argumentum desideramus, quo resurrectio futura demonstretur. Clemens quum nihil fere de mystica illa mortis et vitae communione tradiderit, quae homines Christianos cum Christo Domino conjungere debeat, resurrectionem mortuorum quae apud Paulum ex una resurrectione Christi sequebatur, pluribus et uberioribus argumentis diserte probare instituit. Sic exemplo illo, quod de grano in terram demisso Paulus petiit ad resurrectionis modum et novi corporis qualitatem describendam [2]), Clemens ita usus est, ut ipsius resurrectionis argumentum proferret. Cfr. quae ab initio capitis 24 leguntur Κατανοήσωμεν, πῶς ὁ δεσπότης ἐπιδείκνυται διηνεκῶς ἡμῖν τὴν μέλλουσιν ἀνάστασιν ἔσεσθαι. Alia resurrectionis argumenta petuntur a diei noctisque vicissitudine [3]) (c. 24), et a fabula quae de Phoenice ave fertur [4]) (c. 25).

Inde apparet, Christi resurrectionem non principium, sed initium tantum resurrectionis mortuorum esse. Pauli igitur doctrina non nisi ex parte apud Clementem reperitur.

Alter locus, qui est de Christi resurrectione in capite 42 legitur: Παραγγελίας οὖν λαβόντες, καὶ πληροφορηθέντες διὰ τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πιστωθέντες ἐν τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ, μετὰ πληροφορίας πνεύματος ἁγίου ἐξῆλθον εὐαγγελιζόμενοι, τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ μέλλειν ἔρχεσθαι. Haec verba quid sibi velint, haud difficile est intellectu. Illud πληροφορηθῆναι quod per Christi resurrectionem effectum est, pertinet ad divinas promissiones. Christi igitur resurrectione homines certiores facti sunt, Deum promissionibus quas olim dederat stare. Quaenam vero promissiones intelligendae sint, id iis verbis demonstra-

---

[1]) Paulin. Rechtfertigungslehre, p. 157.

[2]) 1 Cor. XV, 35: Ἀλλ' ἐρεῖ τις· πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί; ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται; Ἄφρον. σὺ ὃ σπείρεις κτλ.

[3]) Ἴδωμεν ἀγαπητοί, τὴν κατὰ και[ρὸν] γινομένην ἀνάστασιν. Ἡμέρ[α καὶ] νὺξ ἀνάστασιν ἡμῖν δηλοῦσ[ιν]· κοιμᾶται ἡ νὺξ, ἀνίσταται ἡ[μέρα]· ἡ ἡμέρα ἄπεισιν, νὺξ ἐπέρ[χεται].

[4]) De hac fabula disseruerunt jam ante Clementis tempora *Herod.* XI, 73. *Ov.* Met. XV, 392. *Plin.* H. N., X, 2. cfr. etiam quae supra notavimus p. 10.

tur, quae postremum locum obtinent μετὰ πληροφορίας — τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ μέλλειν ἔρχεσθαι. Ad hoc vero probandum quid resurrectio Christi valuerit, nemo non intelligit. Regnum divinum ex communi veterum sententia per Messiam inauguratur: Christo autem e mortuis suscitato luculentissime apparet, revera eum esse Messiam et regni divini conditorem.

Quam quidem sententiam non nisi partem Paulinae doctrinae complecti in aprico est. Nimirum ubique a Clemente omissa sunt ea, quae ad mysticam quae vocatur unionem pertinent, quoniam ille in interiora Paulinae doctrinae penetralia nullo pacto descendit, nil nisi superficiem ejus attingens [1]).

Jam vero ut omnia quae de Christi opere tradita sunt comprehendantur, etiam aliud addendum est. Nimirum quum Christi morte salus nostra non omnibus numeris perfecta et absoluta sit, sed accedere debeat divinae misericordiae imploratio, Christus ad homines servandos etiam interlocutoris ac deprecatoris coram Deo partes suscepit. Quocirca capite 36 Clemens Christum appellat τὸν ἀρχιερέα τῶν προσφορῶν ἡμῶν, τὸν προστάτην καὶ βοηθὸν τῆς ἀσθενείας ἡμῶν. Προσφοραὶ autem preces sunt, quas Christiani ad Deum placandum facere debent; cfr. quae supra exposuimus p. 36 sqq. Christus igitur is est, qui homines cum Deo reconciliat, preces eorum coram Deo interpretans [2]).

Quod tamen tum demum fit, si bonis operibus patratis et voluntate Dei observanda digni reperiamur, in quibus tale beneficium collocetur. Quemadmodum enim ad Christi mortem et resurrectionem accedere debet munus sacerdotale, quod in ipsis Christianorum precibus interpretandis versatur, sic hominum est, bonis operibus se dignos auxilio Christi praestare. Bona igitur opera, modestia, temperantia, animi tranquillitas accedere debent, si quis omnino in Christi communionem pervenire, et salutis ab eo oblatae particeps reddi vult. Cfr. quae iis verbis quae modo citavimus antece-

---

[1]) Cfr. *Reuss,* Geschichte der heil. Schriften N. T. (ed. 2), p. 224: «Die theologie ist ein ganz abgefärbter Paulinismus, von dem eigentlich nur noch redensarten übrig sind (1, 2, 7, 20, 21, 32); von einer gründlichen benutzung des briefes an die Römer namentlich ist keine spur. Die mystik fehlt, das heil wird äuszerlich bewirkt, die werke treten wieder alttestamentlich in den vordergrund». Cfr. etiam *Ejusdem* Histoire de la théol. chrét. II, 614.

[2]) *Gundert,* l. c., p. 468.

dunt: Αὕτη ἡ ὁδὸς, ἀγαπητοί, ἐν ᾗ εὕρομεν τὸ σωτήριον ἡμῶν, Ἰησοῦν Χριστόν. Quaenam igitur est illa via? Cernitur in iis, quae capite 35 commendantur: ἐὰν ἐστηριγμένη ᾖ ἡ διάνοια ἡμῶν πίστεως πρὸς τὸν θεὸν, ἐὰν ἐκζητῶμεν τὰ εὐάρεστα καὶ εὐπρόσδεκτα αὐτῷ, ἐὰν ἐπιτελέσωμεν τὰ ἀνήκοντα τῇ ἀμώμῳ βουλήσει αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθήσωμεν τῇ ὁδῷ τῆς ἀληθείας, ἀποῤῥίψαντες ἀφ᾽ ἑαυτῶν πᾶσαν ἀδικίαν καὶ ἀνομίαν, πλεονεξίαν, ἔρεις, κακοηθείας τε καὶ δόλους, ψιθυρισμούς τε καὶ καταλαλιὰς, θεοστυγίαν, ὑπερηφανίαν τε καὶ ἀλαζονείαν, κενοδοξίαν τε καὶ ἀφιλοξενίαν. Diserte igitur contenditur, bonis demum operibus et vita ad voluntatem divinam accommodata homines dignos reddi quorum preces Christus coram Deo interpretetur.

Sed quum nostrae vires admodum debiles sint, Christus etiam hoc sibi proposuit, ut in bonis operibus patrandis potentissimo suo auxilio nos adjuvaret. Sacerdotale enim quod Christus administrat munus non in eo tantum cernitur, quod preces hominum ad Deum referat, sed in eo simul, quod animos eorum qui nomen Dei invocant novis viribus recreat, fidem, abstinentiam, castitatem et quidquid Deo placet in iis efficiendo. C. 58: Ὁ παντεπόπτης θεὸς .... δῴη πάσῃ [ψ]υχῇ ἐπικεκλημένῃ τὸ μεγαλο[π]ρεπὲς καὶ ἅγιον ὄνομα αὐτοῦ [π]ίστιν, φόβον, εἰρήνην, ὑπομονὴν, μακροθυμίαν, ἐγκράτειαν, ἁγνείαν καὶ σωφροσύνην, εἰς εὐαρέστησιν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, διὰ τοῦ ἀρχιερέως καὶ προστάτου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Cum his denuo contulisse juvabit quod in capite 36 Christus appellatur προστάτης καὶ βοηθὸς τῆς ἀσθενείας ἡμῶν. Utrumque enim his verbis conjunctum est: primum quod Christus preces nostras coram Deo interpretatur, deinde quod vires nostras imbecillas potentissimo suo auxilio sustentat [1]).

Illud ipsum autem quod Christo tribuitur τοῦ ἀρχιερέως nomen

---

[1]) Erunt fortasse qui et verba statim sequentia διὰ τούτου ἀτενίζομεν εἰς τὰ ὕψη τῶν οὐρανῶν κτλ. ad ipsum sacerdotale munus Christi referant. Neque infitiandum est, eum qui animos hominum debilitatos novis viribus recreet, etiam mentes eorum ad interiorem in dies divinae veritatis intellectum perducere. Sed nihil cogit, ut ipsius sacerdotalis muneris esse credamus, mentes hominum illuminare; διὰ τούτου enim ad Christum quidem pertinet, sed non additum est ad illud Christi munus quo ille βοηθὸς τῆς ἀσθενείας ἡμῶν appellatur uberius explicandum, sed ad novam gratiam per Christum in nos collatam designandam.

ex epistola ad Hebraeos scripta petitum est. Quod nemo certe dubitabit, qui ea quoque quae in eodem capite 36 de divina Christi dignitate disputantur, semel perlegerit. In qua re imitatur Clemens non modo sententias, sed integra illius epistolae verba, ita quidem ut ad ejus exemplum tota fere quam ipse de Christo suscepit doctrina videatur conformata esse. Sed luculentius etiam doceri potest, ipsa verba capitis 36 Τὸν ἀρχιερέα τῶν προσφορῶν ἡμῶν, τὸν προστάτην καὶ βοηθὸν τῆς ἀσθενείας ἡμῶν ab illa epistola originem habere. Probe quidem scio, pontificale Christi munus illic ad peccatorum expiationem per sanguinem Domini factam referri: Hebr. IX, 11 sqq. extr. Sed quum quisque pontifex constitutus esse dicatur coram Deo, ἵνα προσφέρῃ δῶρα καὶ θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν (Hebr. V, 1), sponte apparet qui factum sit, ut etiam latius patere existimentur officia pontificalia. Nimirum si Christi tamquam pontificis est, Deum cum hominibus reconciliare, fieri non potest, quin ad sacrificium accedat precationum coram Deo interpretatio. Illud semel factum est, hoc in aeternum fit, propterea quod aeterno munere fungitur cfr. VII, 25: Ὅθεν καὶ σώζειν εἰς τὸ παντελὲς δύναται τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ θεῷ, πάντοτε ζῶν εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν (cfr. X, 2). Sed statim post diserte ad pontificale Christi munus id tamquam reconciliationis fundamentum refertur, quod semel semet ipsum victimam Deo obtulerit.

Clemens vero omnem vim tribuit ei rei, quae in epistola ad Hebraeos scripta non nisi addita est ad doctrinae caput. In qua re etiam locum Hebr. IV, 15 sq.: Οὐ γὰρ ἔχομεν ἀρχιερέα μὴ δυνάμενον συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν .... προσερχώμεθα οὖν μετὰ παῤῥησίας τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος, ἵνα λάβωμεν ἔλεον, καὶ χάριν εὕρωμεν εἰς εὔκαιρον βοήθειαν in suum usum convertit, quem locum verbis, non re imitatus est capite 36. Nam quod illic Christus dicitur συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείας ἡμῶν, id nequaquam ad preces nostras coram Deo interpretandas, sed ad peccatorum expiationem rite perficiendam pertinet et explicatur verbis sequentibus πεπειρασμένον δὲ κατὰ πάντα κτλ. cfr. V, 2. Neque aliud quid de versu 16 statui licet, imprimis de loquendi formula εἰς εὔκαιρον βοήθειαν. Auxilium illud, quod opportuno tempore Christus nobis tulisse dicitur, peccatorum expiatio est, semel perpetrata; Clemens vero de auxilio cogitat, quod Christus non

semel, sed etiam atque etiam fidelibus fert, dona eorum ac preces Deo offerendo, infirmitatem eorum quae etiamnunc remansit sustentando.

Atque hinc jam apparet, Clementem verbis quidem epistolam illam secutum esse, ipsa re longe ab illa discessisse. In epistola ad Hebraeos scripta mors vicaria summa est muneris sacerdotalis; apud Clementem munus sacerdotale ad mortem vicariam omnino non pertinet.

Quid quod ex his ipsis verbis quibus utitur Clemens ad pontificalia Christi officia illustranda luculenter apparet, de morte ejus satisfactoria nullo pacto cogitari posse. Appellatur Christus ἀρχιερεὺς τῶν προσφορῶν ἡμῶν. Hoc autem ad sacrificium morte Christi perpetratum referri nequit. Illae enim oblationes non ipsius Christi, sed nostrae sunt oblationes: Christi igitur munus cernitur non in eo quod ipse corpus suum cruentum Deo obtulerit, sed in eo quod coram Deo pro nobis intercedendo efficit, ut nostra dona Deo grata acceptaque sint, et ad salutem nostram promovendam valeant.

Quod autem Christus τὸ σωτήριον ἡμῶν appellatur, id certe non hoc sibi vult, ut mortem ejus vicariam significet. Conferas ipsa Clementis verba: Θυσία αἰνέσεως δοξάσει με, καὶ ἐκεῖ ὁδὸς, ἣν δείξω αὐτῷ τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ (Ps. 49, 23). Αὕτη ἡ ὁδὸς, ἀγαπητοὶ, ἐν ᾗ εὕρομεν τὸ σωτήριον ἡμῶν, Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἀρχιερέα κτλ. Ibi quum θυσία αἰνέσεως commemorata sit, admodum credibile est, Clementem etiam τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ non ad ipsum quidem sacrificium gratiae (quod cum textu Hebraeo ubi legitur יֵשַׁע pariter atque cum sensu verborum pugnat), sed ad salutem cum ejusmodi sacrificiis conjunctam retulisse. Itaque ipsae illae grates precesque via appellantur, quam ingressi in Christi, salutis nostrae, communionem perveniamus, quandoquidem Christus illas coram Deo interpretetur et interpretando ratas faciat.

Munus igitur sacerdotale quo fungitur Christus ad mortem ejus extrinsecus additum est. Quemadmodum enim Dei gratia, illa morte nobis oblata, nostra demum poenitentia in salutem nostram accommodatur, sic etiam reconciliatio quae Deum inter et homines instituta esse dicitur (c. 12) nequaquam morte Christi perfecta est. Imo reliquum est, primum ut homines Deum sibi reconciliare studeant bonis operibus precibusque, deinde ut Chri-

stus homines in hac re adjuvet, preces coram Deo interpretando, animos eorum debiles et infirmos erigendo, sustentando, confirmando. In hoc uno igitur quum sacerdotium Christi positum sit, tota epistolae ad Hebraeos scriptae doctrina evertitur. Sed evertitur etiam Paulina doctrina. Semper enim ad Christi meritum aliud quid additur quod homines facere debent; unio illa mystica qua Christus in hominibus habitare putatur, ita ut Christus omnia in nobis, nosmet ipsi nihil perficiamus, a Clementis theologia aliena est. Non unus Christus in nobis operatur, sed accedit etiam hominum aliqua cooperatio, cui cooperationi nonnihil meriti tribuendum est. Atque hic est cujusvis quae inter utrumque virum nata est dissensionis fons: Clemens catholicae, Paulus evangelicae doctrinae patrocinatur.

Transgredi placet ad eam doctrinam, quam de persona Christi Clemens proposuit. In qua re primo adspectu non opus videtur esse uberiore disputatione. Quemadmodum enim in iis quae de munere pontificali quo functus sit Dominus disputavit, ita etiam in illis quas de persona Christi suscepit sententiis epistolam ad Hebraeos scriptam ante oculos habuit Clemens.

Sic Christus divino splendore ita circumfusus esse dicitur, ut Dei majestas in illo tanquam in speculo cernatur c. 36: Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ, cfr. Hebr. I, 3: Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ... ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης. Intercedit igitur Christo cum Deo summa naturae similitudo. Quae quidem similitudo a Clemente probatur sic, ut Christum cum angelis comparatum eo majorem illis esse ostendat, quo praestantius nomen hereditate acceperit: Τοσούτῳ μείζων ἐστὶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον ὄνομα κεκληρονόμηκεν. Quae verba rursus ex epistola ad Hebraeos data petita sunt (I, 4: Τοσούτῳ κρείττων κτλ.). Jam locis quibusdam V. T. doctrinam comprobare instituit Clemens; sed quae afferuntur testimonia eadem sunt, quibus illius epistolae auctor usus est. Leguntur apud Clementem: Γέγραπται γὰρ οὕτως· ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα (Ps. CIII, 4); atque eadem verba reperiuntur Hebr. I, 7. Deinde pergit Clemens: Ἐπὶ δὲ τῷ υἱῷ αὐτοῦ οὕτως εἶπεν ὁ δεσπότης· υἱός μου εἶ

σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε· αἴτησαι παρ' ἐμοῦ, καὶ δώσω σοι ἔθνη τὴν κληρονομίαν σου, κ[αὶ τὴν κατά]σχεσίν σου τὰ πέρατα τ[ῆς γῆς] (Ps. II, 7, 8); ac similiter Hebr. I, 5 haec Psalmistae verba citata sunt, omisso tamen versu 7. Denique addidit Clemens Καὶ πάλιν λέγει πρὸς αὐ[τόν· κάθου] ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν[θῶ τοὺς] ἐχθρούς σου ὑποπόδιο[ν τῶν π]οδῶν σου (Ps. CIX, 1); neque haec desunt in epistola ad Hebraeos scripta, leguntur enim I, 13.

Sed vehementer errabimus, si Clementem prorsus ad illius epistolae doctrinam se applicavisse censuerimus. Imo si rem accuratius pervestigamus, nonnihil discriminis inter utramque doctrinam intercedere intelligemus. Quod ne temere dixisse videamur, sententiam quam epistola ad Hebraeos scripta de Christi persona proponit paucis exposuisse juvabit.

Cardo totius doctrinae in eo vertitur, quod Christus summi pontificis vices gessisse putatur. Christi enim mors aeternum est sacrificium pro omnium hominum peccatis semel Deo oblatum: itaque non opus est sacrificiorum repetitione. Propterea autem quod passus et mortuus est, ad summum perfectionis culmen ascendit: neque enim jam antea fuit perfectus: imo patiendo obedientiam didicit (II, 10; V, 9), et sic demum ad eam perfectionem provectus est, qua indutus omnibus qui ipsi obtemperaturi essent auctor aeternae salutis evasit, et a Deo Pontifex Maximus ad similitudinem Melchisedeci appellatus est (V, 9, 10). Quemadmodum autem dignitatem sacerdotalem non sibi ipse sumere potest aliquis, sed a Deo vocatur, sic etiam Christus non ipse illa gloria se circumdedit aut de sua potentia Pontifex Maximus factus est, sed accepit illam gloriam a Deo qui eum filium suum et Pontificem Maximum appellaverit (V, 4—6). Factus est igitur Pontifex Maximus morte sua satisfactoria, quum in locum sanctissimum h. e. in coelum intraret (VI, 20, cfr. IX, 24; X, 20). Jam hujus muneris dignitas nunquam cessabit: est enim pontifex in aeternum (εἰς αἰῶνα, V, 6; VI, 20) vel filius in aeternum perfectus (VII, 28) coelos transgressus (IV, 14) et super coelos elatus (VII, 26). Quod autem dicitur super coelos elatus esse, id eo spectat quod peccatis hominum morte sua sublatis ad dexteram Dei vel ad dexteram divinae majestatis evectus est (I, 3, 13; VIII, 1; X, 12; XII, 2). Jam ultimam gloriae consummationem exspectat, dum omnes hostes sub pedibus ejus prostrati sint (I, 13; X, 13). Omnia enim Deus

praeter semet ipsum Christo subjecit, licet nondum apparuerit, omnia ei subjecta esse (II, 8). Apparebit autem hoc, ubi reversurus est in orbem — nimirum debet ad salutem absolvendam reverti (IX, 28) —: tunc enim et angeli adorabunt eum (I, 6). Propterea filius est et haeres omnium (I, 1. 2; II, 6), est rex in aeternum, est Deus (I, 8. 9).

Omnia igitur ut in unum comprehendamus, summa illa gloria ac dignitate Christum ideo ornatum esse intelligimus, quia morte sua peccatorum veniam invenerit (II, 9 cfr. IX, 12; X, 14). Hinc munus ejus pontificale, ad similitudinem Melchisedeci conformatum, hinc summa perfectio filii, hinc glorifica ejus in coelum ac super coelos elevatio, hinc sedes quae ipsi concessa est ad dexteram divinae majestatis, hinc reditus ad salutem omnium consummandam instituendus, hinc denique summum orbis terrarum imperium et divini nominis honor. Cui sententiae ne locus quidem Ps. II, 7 adversatur υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Errat enim *Zeller* [1]), qui illud σήμερον ad aeternam filii generationem refert. Nam σήμερον apud auctorem epistolae semper de certo quodam et constituto tempore dicitur III, 7. 13. 15; IV, 7, de tempore scilicet novi foederis per Christum icti. Addas, quod ex loco V, 5 admodum verisimile fit, verba υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε auctori epistolae plane idem valuisse atque ea quae statim subsequuntur σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ. Uterque enim locus affertur ad idem comprobandum, scilicet ut Christum dignitatem pontificalem non sibi ipsum sumsisse, sed a Deo accepisse doceamur. Hinc cogitur, filii quoque nomen arctissime cohaerere cum morte Christi vicaria (cfr. etiam III, 2. 6) [2]).

Nec tamen hanc sententiam tam constanter amplexus est auctor, ut Christum antequam pontificis vices gesserit, filii nomine omnino caruisse censeat. Contrarium evincitur verbis V, 8 καίπερ ὢν υἱὸς, ἔμαθεν κτλ. Quae quo modo inter se conciliari possint, alii viderint. Proditur autem verbis καίπερ ὢν υἱὸς sine dubio alia quaedam doctrina, quam secutus auctor divinos Christi honores non tam ex ipsius merito, quam ex divina ejus natura pendere exi-

---

[1]) Zur neutestamentlichen Christologie, Theol. Jahrb. 1842, p. 62 sq.

[2]) Addas, quod filii et heredis nomen idem significare videatur: heres autem omnium factus est demum. Cfr. I, 2; II, 5.

stimavit. Est enim Christus **natura** sua aeternus, neque initium neque finem vitae habet (VII, 3). Non igitur propter aeternum sacrificii oblati meritum aeternis honoribus coronatus est Christus; sed **vice versa** propterea quod ipse in aeternum manet, etiam munus quo fungitur nunquam cessabit (VII, 24). Accepit enim munus secundum vitae indissolubilis vim (VII, 16 cfr. IX, 12, 14). Atque huc pertinent, quae cc. I et II de persona Christi traduntur. Appellatur autem primum quidem ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως θεοῦ (I, 3), quod sine dubio de ea dignitate quam Christus ab aeterno habuit intelligendum est; deinde dicitur ille mundum condidisse et omnia verbo potentiae suae protulisse (I, 2, 3, 10—12). Utraque dignitas Christo videtur eo consilio tribui, ut quid **inter illum et angelos discriminis sit** illustretur. Attamen quum angeli quoque apud Judaeos ἀπαυγάσματα θεοῦ et mundi auctores appellentur, non satis perspicuum fit, quonam tandem pacto exinde major quaedam Christi dignitas eluceat. Eandem dignitatem etiam angelis recte tribui, non negavit auctor; sed diligentiorem hujus rei disquisitionem omnino praetermittit, et statim ad id se convertit, ut Christum divina qua **postea** ornatus sit dignitate angelos longe superare doceat. Cernitur enim haec major Christi praestantia in eo, quod postquam peccata hominum expiaverit, ad dexteram Dei consedisse dicitur (I, 3, 13); atque eodem pertinent quae locis I, 5, 8, 9; II, 5 de Christo praedicantur. Confugit igitur in majore Christi dignitate extollenda denuo ad ea, quae Christus non tam ab initio habuisse, quam postea demum quum patiendo et moriendo perfectus esset, accepisse putatur. Licet igitur divino splendore jam ab initio circumfusus esse dicatur (I, 3: Ὢν ἀπαύγασμα) tamen postea demum major factus est angelis (τοσούτῳ κρείττων **γενόμενος** κτλ.). **Futurum** enim mundum Deus Christo, non angelis subjecit (II, 5). Atque eodem redit quod angeli tum demum quum denuo in mundum reversurus est Christus, eum adoraturi esse feruntur (I, 6). Quid quod ipse Christus ποίημα (III, 3: Τῷ ποιήσαντι αὐτὸν i. e. Christum), angeli vero Christi μέτοχοι (I, 9) appellantur. Nimirum haec si recte perpenderis, probabile fit, Christum antequam propter munus pontificale ad dexteram Dei elevatus fuerit, non nisi in eo angelis excelluisse, quod **πρωτότοκος** fuit, i. e. quod primum locum inter naturas creatas obtinuit (I, 6).

Concedo auctoris verba non nisi sic explicari posse; sed quis eum censuerit haec omnia quae ex ejusmodi dictis efficerentur et ipsum perspexisse? Imo caveas, ne praematuris conclusiunculis usus in eam opinionem abripiaris, ut auctorem omne naturae et essentiae discrimen inter Christum et angelos de industria negavisse putes. Omitto, quod majorem Christi praestantiam in ipsius nominis discrimine reperiri statuit: filii enim nomen cum ipsius Christi opere arctissime cohaeret. Sed versatur auctor in Christi laudibus praedicandis hoc fere modo, ut eam potentiam, quae ex multorum ejus temporis, maxime Alexandrenorum theologorum opinione toto angelorum choro tribuebatur, in unum Christum diserte conferre studeat, angelorum autem dignitatem quantum fieri possit angustioribus terminis circumscribat [1]). Sic autem evenit, ut proxime accederet ad θεολογούμενον illud inter Alexandrenos nec non Chaldaïcos Judaeorum doctores eo tempore pervulgatum quo Deum non nisi per Verbum suum (λόγος, ῥῆμα, מֵימְרָא) hominibus manifestari, imprimis autem mundum per hoc Verbum condidisse putabant. Cujus quidem θεολογουμένου epistolae auctorem notitiam habuisse, quum ex loco Hebr. XI, 3 tum ex iis quae I, 3 leguntur (cfr. etiam IV, 12) satis apparet. Jam plane eodem ut videtur redit, quod I, 2 Deus per Christum mundum condidisse dicitur; et si quis verba: φέρων τε τὰ πάντα κτλ. objecerit, quibus Christus a verbo potentiae suae distingui videatur, is ipsum Christum ἀπαυγ. τ. δ. καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστ. θεοῦ appellari meminerit, quae quidem nomina ab ipso Verbo ad Christum translata sunt. Utebatur igitur illo θεολογουμένῳ; sed utebatur eo non tamquam doctrinae suae fundamento, sed tamquam exemplo aliunde petito, quo quid ipse de divina Christi natura cognovisset illustraret. Unde factum est, ut ipsum Verbi divini nomen numquam, illius autem Verbi proprietates interdum ad Christum transferrentur. Omnem autem operam epistolae auctor in eo consumsit, ut inter Christi et angelorum munus comparationem institueret. Christus propter mortem suam satisfactoriam ad dexteram Dei positus, propter justitiam Deus et rex appellatus est; angeli non nisi πνεύματα sunt λειτουργικὰ εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν (I, 14).

[1]) Cfr. Philo de opificio mundi I, 46. 48 Pf. Ibi mundus per angelorum ministerium conditus esse dicitur.

Hinc apparet, qui factum sit, ut epistolae auctor Judaicae doctrinae eorum qui Christum ἕνα τῶν ἀρχαγγέλων fuisse contendebant [1]) tam vehementer adversetur. Nam fieri certe non potuit, quin is qui ab angelis tamquam Deus et Rex a ministris differre putabatur, una dignitate quam postea accepisset ab iis distingueretur: ipsa illa necessitas quae disserendi subtilitate ipsis injungebatur primaevos theologos coegit, ut etiam naturae quandam Christi et angelorum differentiam statuerent. Profecta est igitur nova Christologia exinde, quod Christus post mortem suam summum rerum imperium a Deo accepisse acceptumque eo tempore, quod ἡ παρουσία τοῦ κυρίου appellabatur, omnibus numeris absoluturum esse putabatur. Sed cui omnia praeter patrem subjecta sunt, is multo melioris etiam atque amplioris naturae est quam angeli: igitur non esse potest unus ex angelis: neque hoc diutius ferri potuit, quod Christus πρωτότοκος πάσης κτίσεως appellabatur. Christus igitur ut ab angelis discernatur, non honore tantum, sed natura sua Deus esse creditur: non igitur gradu, sed statu — ut cum Tertulliano loquamur — Christus ab angelis differt. Ad hoc Deum factum esse qui arbitretur, is duas videtur notiones sibi invicem contradicentes in unam conjunxisse. Fieri igitur non potuit, quin is, qui post resurrectionem factam tamquam Deus coleretur, divinae naturae particeps non tam factus esse quam ab initio fuisse crederetur. Cujus quidem doctrinae fundamenta jacta sunt in epistola ad Hebraeos scripta; sed jacta sunt ita, ut prisca qua Christus εἷς τῶν ἀρχαγγέλων dicitur Judaicae partis traditio impugnetur quidem sedulo, nec vero radicitus tollatur. Epistolae igitur hoc proprium est, ut tota quidem Christologia a morte Christi vicaria et a divinis honoribus orsa sit, quos propter illam mortem Christus promeruerit; hac ipsa autem quam Christus post mortem et resurrectionem acceperit divina praestantia quum etiam angelos longe superare putaretur, effectum est, ut epistolae auctor priscae sententiae qua Christus πρωτότοκος τῶν ἀγγέλων habebatur terminos transgrediens, eum jam ab initio arctissime cum ipso divino numine conjungere studeret.

Jam videamus, num Clementi contigerit, ut ei doctrinae quam

---

[1]) Cfr. Epiph. Haer. XXX, 3, 6. Conferantur etiam quae in libro Henochi, in Pastore Hermae, in Ascensione Jesaiae et in aliis libris disseruntur.

auctor illius epistolae imperfectam reliquit, tamquam fastigium imponeret. De qua quidem re ut recte judicare queas, ante omnia te tibi in mentem revocare decet, totam illam sententiam quam ille de munere Christi pontificali in vicaria ejus morte conspicuo tradiderit, alienam fuisse a Clementis Christologia. Epistola ad Hebraeos data Christum docet Pontificem Maximum esse ad similitudinem Melchisedeci; ex hac ipsa igitur muneris dignitate omnes fere Christi honores pendebant. Clemens de muneris sacerdotalis dignitate longe aliter sensit; numquam professus est, Christum pontificem esse ad similitudinem Melchisedeci; nihil de obedientia dicit, quam Christus patiendo et moriendo didicerit, nihil de divina gloria, quam postea demum acceperit.

Sic autem non potuit non statuere, Christum divinum nomen ac mundi gubernationem jam ab initio rerum habuisse.

Auctor epistolae ad Hebraeos datae Christum putavit angelis majorem factum esse (κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων); Clemens censuit, eum majorem esse (μείζων ἐστὶν ἀγγέλων). Ille inter verba ὃς ὢν ἀπαύγασμα κτλ. et τοσούτῳ κρείττων γενόμενος κτλ. interposuit καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν ποιησάμενος, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης, ita ut Christus nomen illud angelis praestantius tum demum accepisse dicatur, quum morte sua peccata hominum expiaverit; hic omittit quae ab illo interposita sunt et verba inter se jungit sic: Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ, τοσούτῳ μείζων ἐστὶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον ὄνομα κεκληρονόμηκεν. Quod igitur Christus nominis praestantia angelis excellit, id non ex morte ejus vicaria derivatur, sed ex hoc ipso, quod est ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης θεοῦ. Discrimen igitur nominis non factum est, sed ab aeterno fuit. Ille porro nominis diversitatem in eo cernit, quod Christus filius, angeli vero spiritus ministrantes sint: itaque statim ad verba κεκληρονόμηκεν ὄνομα addit quaestione τίνι γὰρ εἶπέν ποτε τῶν ἀγγέλων interposita locos Ps. II, 7; 2 Sam. VII, 14; Ps. XCVII, 7; deinde vero ad angelos transit καὶ πρὸς τοὺς μὲν ἀγγέλους λέγει· ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ κτλ. (Ps. CIII, 4). Hic omnino non demonstrandum sibi proposuit, Christum esse filium Dei; omittit igitur hoc loco testimonia V. T., et statim in medium profert ea quae ad angelos pertinent: Γέγραπται γὰρ οὕτως· ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγ. κτλ. Deinde vero

adjungit quidem Ps. II, 7, sed adjungit hoc modo: Ἐπὶ δὲ τῷ υἱῷ αὐτοῦ οὕτως εἶπεν ὁ δεσπότης· υἱός μου εἶ σὺ κτλ. Christum igitur filium Dei esse supponit jam, non demonstrat. Igitur non ex eo quod Christus filius Dei appellatus sit, evincit Clemens eum superiorem fuisse angelis. Imo verbis Psalmistae utitur ita, ut ad aliquid novi transgrediatur. Itaque cum versu 7 connectit versum 8, ubi de hereditate et de mundi imperio sermo fit; cui statim addit locum Ps. CX, 1, quem locum ille paullo serius (Hebr. I, 8) protulit. Ille igitur quum locum Ps. II, 7 adhiberet, id potissimum egit, ut Christum τὸν υἱὸν esse ostenderet; huic non tam hoc propositum erat, quam illud ut filium heredem esse patris ac mundo imperare declararet. Hinc apparet etiam illud σήμερον longe alio sensu accipiendum esse apud hunc atque apud illum. Pertinet enim non ad incarnationem quam vocant, i. e. ad certum quoddam definitumque tempus, sed ad aeternam Christi dignitatem ac potentiam. Ex *Clementis* igitur sententia *Dorner* [1]) illud σήμερον recte interpretatus est. Censet enim, Christum hoc vocabulo tamquam aeternum filium designari. Cum illo σήμερον autem explicandi ut videtur gratia conjungitur id quod de regno et potentia filii versu 8 dictum est. Non igitur Christum filium esse, sed filium mundi regnum tenere Clemens demonstrare studuit: ergo non in eo quod filius est nominis ejus praestantia cernitur, sed in eo quod mundi gubernatione praeditus est. Jam verba ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ κτλ. recte intelligi possunt. Christus est ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης θεοῦ, angeli singuli tantum spiritus sunt, quorum natura in eo consistit quod Psalmista eos πυρὸς φλόγα appellavit. Igitur quod olim Christo cum angelis commune esse putabatur eum esse πνεῦμα et πυρὸς φλόγα, id jam ad angelos tantum accommodatur, quia in Christo divina magnificentia exsplenduit [2]).

---

[1]) Entwickelungsgeschichte, p. 142.

[2]) Sponte apparet, hanc loci explicationem neque ad epistolam ad Hebraeos scriptam neque ad Psalmistam quadrare. Psalmista infinitam Dei potentiam insigni quodam exemplo illustrat: «ventis utitur Deus nunciis et flammis ministris.» Auctor epistolae ad Hebraeos datae hoc loco utitur ad angelorum officia describenda, quandoquidem non nisi ministri sunt, filio Dei longe inferiores. Clemens denique ipsius naturae differentiam a Psalmista notatam existimans, verbis πυρὸς φλόγα plurimum ponderis tribuit. Constat autem,

Neque id forte fortuna accidit, ut Christus ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης θεοῦ appellaretur. Epistolam enim ad Hebraeos scriptam Christum appellavisse scimus ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως, quod sublimiorem quidem ac divinam Christi gloriam significat, ipsum autem divinum ejus imperium non simul complectitur. Imo postea demum a dextra divinae majestatis consedisse dicitur. Clemens autem quum Christum ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης θεοῦ nominet, hoc ipso profitetur eum jam ab initio divinum rerum imperium tenuisse. Hac in re cernitur propria ejus ac praecipua dignitas: hoc demonstrandum erat scripturae testimoniis, nec vero illud, quod nemo tum in dubium vocabat, Christum κατ' ἐξοχὴν esse filium Dei. Ac similiter etíam ἡ κληρονομία non tam de filii nomine, quam de mundi hereditate dicitur. Cujus quidem hereditatis Christum post mortem demum et

---

jam V. T. scriptores angelos flammis indutos esse docuisse Exod. III, 2 cfr. Mt. XXVIII, 3. Act. XII, 7. Messiam autem quum seriores Judaeorum scriptores Danielem prophetam secuti inter angelos referrent (cfr. *Hellwag,* Die vorstellung von der präexistenz Christi in der ältesten kirche. Theol. Jahrb. [1848], p. 144 sqq.), fieri non potuit, quin idem et de illo statueretur. Quin ipse Paulus Apostolus Christum dicit ἐν φλογὶ πυρὸς revelatum iri 2 Thess. I, 8. Sed in posterioris aetatis epistolis Paulus nullibi ad hanc senteutiam reversus est. Quod fortasse non casu accidit. Quemadmodum enim Christus non πνεῦμά τι, sed τὸ πνεῦμα est 2 Cor. III, 17, sic etiam non splendore tantum quopiam divinitus orto circumdatur, sed ipse est εἰκὼν τοῦ θεοῦ 2 Cor. IV, 4, quo quidem nomine non designatur ideo quia unus ex angelis sit, sed vice versa quia utpote πρωτότοκος πάσης κτίσεως ab angelis distinguitur (Col. I, 15 sqq.). Similiter epistola ad Hebraeos data Christum ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως θεοῦ ita appellat, ut natura ejus longe praestantissima inde intelligatur. Illud autem primus Clemens vidisse videtur, in eo ipso quod Christus ἀπαύγασμα Dei sit, majorem ejus praestantiam qua distinguatur ab angelis inesse. Quum igitur in epistola ad Hebraeos data Christus ideo quia major esset angelis κατ' ἐξοχὴν appelletur ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρ. τ. ὑπ. θ., Clemens jam vice versa majorem Christi praestantiam exinde probat, quod unus Christus ἀπαύγασμα, angeli vero spiritus vel flammae igneae sint, i. e. quod in uno Christo plena Patris potentia ac tota divina majestas eluceat, angeli vero certis quibusdam naturae terminis circumscripti sint, tamquam unius solis singuli radii. Quid quod ipsa illa verba γέγραπται γὰρ οὕτως sic cum antecedentibus cohaerent, ut facile cui in mentem venire queat, ipsum Christum esse eum qui dicatur ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους κτλ. Quod quamvis non accurate defenderim, tamen nihil certe impedit, quominus ita statuamus.

resurrectionem participem factum esse, non modo contenditur, sed ne conciliari quidem potest cum reliquis Clementis sententiis.

Jam intelliges, parum subtiliter judicasse eos, qui Clementem ea omnia quae de Christi persona tradiderit temere ex epistola ad Hebraeos scripta excerpsisse statuerunt. Imo epistolam illam in usum suum convertit sic, ut quum verba tum doctrinam primo ejus capite explanatam nonnihil immutaret. In qua re perinde est, num Clementem id de industria fecisse arbitremur nec ne. Nam quamvis fortuito et ipso Clemente nesciente acciderit, ut ea quae ipse de Christi natura profiteretur nonnihil discreparent ab illa epistola, tamen hoc ipsum locupletissime opinor testatur, ecclesiam Clementis temporibus haud exiguum progressum fecisse in doctrina de Christi natura conformanda. Licet enim Clemens, ut et mihi videtur, se omnibus ex partibus consentire existimaverit cum illius epistolae auctore, tamen in hoc ipso ab eo discessit, quod alio fundamento niteretur doctrina sua. Ex illius sententia doctrinae caput est meritum Christi, quod divinos ei honores comparaverit, quod eum super angelos longe extulerit, quod eum arctissime cum ipso Deo conjunxerit. Quod igitur jam ab initio majore quam angeli splendore circumfusus fuisse, et divinae essentiae perfectissimam imaginem repraesentavisse, et suae potentiae verbo mundum condidisse conditumque conservare dicitur, id non ipsum est fundamentum doctrinae, sed huic fundamento tamquam fastigium impositum est. Clementem vero si audis, ex hac ipsa divina natura quam Christus ab initio habuit omnia pendent, quae de summa ejus praestantia praedicantur. Non propter meritum, sed propter naturam ab angelis differt[1]), divina autem ejus natura in summo potissimum exsplenduit rerum imperio.

Atque hoc illud est, quod in capite 16 denuo scriptum legimus: Τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ θεοῦ, ὁ κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς, οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας οὐδὲ ὑπερηφανίας, καίπερ δυνάμενος· ἀλλὰ ταπεινοφρονῶν κτλ. Sceptrum imperii signum est: itaque nullus dubito, quin haec quoque verba ad summam imperii spectent, Dei auctoritate ac nomine Christo delatam. Quod quidem imperium, si antecedentia contuleris ταπεινοφρονούντων γάρ ἐστιν ὁ Χριστὸς, οὐκ ἐπαιρομένων ἐπὶ τὸ

1) Cfr. *Dorner*, l. c. p. 140 sqq.

ποίμνιον αὐτοῦ, ad ecclesiae gubernandae potestatem videtur referendum esse. Sed si verum quaerimus, longe aliter statuendum est. Ex hoc ipso enim quod Christus τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ θεοῦ nominatur, demonstrare instituit Clemens, fieri quidem potuisse, ut Christus ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας i. e. summo splendore circumfusus ad homines veniret; tantum autem abfuisse, ut Christus hac naturae suae potentia uteretur, ut ipsa vita sua humana luculentissimum modestiae et obedientiae exemplum ante oculos poneret. Christus igitur ab initio fuit τὸ σκῆπτρον τῆς μεγ., quandoquidem ipsius Dei summa potentia in Christi persona tanquam ob oculos posita esse videtur[1]).

Haud ita magni facio, quod aliis locis non solum Deo per Christum, sed ipsi etiam Christo ut videtur, gloria ac potentia in aeternum esse dicitur. C. 20: Ταῦτα πάντα ὁ μέγας δημιουργὸς καὶ δεσπότης τῶν ἁπάντων ἐν εἰρήνῃ καὶ ὁμονοίᾳ προσέταξεν εἶναι, εὐεργετῶν τὰ πάντα, ὑπερεκπερισσῶς δὲ ἡμᾶς τοὺς προσπεφευγότας τοῖς οἰκτιρμοῖς αὐτοῦ, διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ ἡ μεγαλωσύνη εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. C. 50: Οὗτος ὁ μακαρισμὸς ἐ[γέ]νετο ἐπὶ τοὺς ἐκλελεγμένους ὑπὸ τοῦ θεοῦ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμ[ῶν], ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Si grammaticam respicis, relativum ad id pertinere videtur quod proxime antegressum est substantivum h. e. ad Christum. Sed non impedio, quominus aliquis ᾧ ad Deum referendum esse censeat. Utrumvis eligas, δοξολογία illa non hanc vim habet, ut aeternam Christi majestatem qua natura sua praeditus est illustret: pertinet enim ad praeclaram Dei gratiam et benignitatem, per Christum in ecclesia conspicuam.

Multo igitur majoris momenti est, quod Christus jam in V. T. locutus esse dicitur per Spiritum Sanctum c. 22: Ταῦτα δὲ πάντα βεβαιοῖ ἡ ἐν Χριστῷ πίστις· καὶ γὰρ αὐτὸς διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου οὕτως προσκαλεῖται ἡμᾶς· δεῦτε τέκνα κτλ.

---

[1]) Non alienum est a re, hunc Clementis locum cum clarissimis Pauli verbis Phil. II, 6 sqq. comparare. In qua comparatione illud memoria dignum est, quod Clemens obedientiae quidem exemplum per Christum ante oculos positum multis laudibus exornat, novam autem gloriam ac dignitatem quam hac ipsa obedientia consecutus sit, silentio transmittit. Quod nemini certe mirationem movebit, qui eorum quae supra de Christi natura exposuimus recordatus fuerit.

(sequitur locus Ps. XXXIII, 11—18). Cfr. etiam c. 16: Καὶ πάλιν αὐτός φησιν· ἐγὼ δέ εἰμι σκώληξ καὶ οὐκ ἄνθρωπος cfr. Ps. XXI, 7—9 (LXX)[1]. Hoc enim luculenter docet, imperium Christi non post ejus resurrectionem factam initium cepisse. Quae quidem res nonnihil etiam confirmatur, si cum *Dornero*[2]) verba quaedam capitis 33 ad Christum referamus. Ubi quum Deus homines creasse dicitur τῆς ἑαυτοῦ εἰκόνος χαρακτῆρα, *Dorner* censuit τὴν εἰκόνα θεοῦ Christum esse, ut sensus verborum sit: Deus homines fecit ad Christi similitudinem. Sed hoc non satis firmum est: pugnare enim videtur cum sequentibus ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν ἡμετέραν.

Verum enim vero omnino non opus est quam Clemens de Christi natura suscepit sententiam novis adhuc testimoniis comprobare. Christus divinae naturae ac potentiae est; ac tantum abest, ut cum angelis communem habeat naturam, ut verba Mal. III, 1: Ἐξαίφνης ἥξει ὁ κύριος εἰς τὸν ναὸν αὐτοῦ, καὶ ὁ ἄγγελος ὃν ὑμεῖς προσδοκᾶτε (LXX), quae cap. 23 ad Christi παρουσίαν quam vocant referuntur, de industria immutata sint. Legit enim Clemens ... καὶ ὁ ἅγιος ὃν ὑμεῖς προσδοκᾶτε. Christum scilicet angelum appellari, molestissime tulit[3]).

Quae quum ita sint, non est quod uberius demonstremus, arctissima ipsius naturae communione Christum cum Deo conjunctum esse. Illud autem fortasse dubium est, quonam tandem modo illa divinae naturae communio cogitata sit. Duplici autem modo illa cogitari potuit: aut sic, ut Christus Deus a Deo Patre omnino non distingueretur, aut sic, ut Christus medium quemdam locum inter ipsum Patrem et angelos obtinere putaretur. Ac priori quidem sententiae sine dubio favet ille locus, qui in capite 2 legitur: Τοῖς ἐφοδίοις τοῦ θεοῦ ἀρκούμενοι, καὶ προσέχοντες τοὺς λόγους αὐτοῦ ἐπιμελῶς, ἐστερνισμένοι ἦτε τοῖς σπλάγχνοις, καὶ τὰ παθήματα αὐτοῦ ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν. Nimirum si rationem habueris grammaticae, vix dubitaveris quin αὐτοῦ ad Deum referendum sit. Christus igitur non modo Deus est, sed etiam Deus ut ajunt patibilis. Quod ne cui mirum videatur, con-

[1]) *Dorner*, l. c. p. 142.
[2]) l. c. p. 139 sqq.
[3]) *Hellwag*, l. c. p. 254.

feras Ign. ad Rom. c. 6: Ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι τοῦ πάθους τοῦ θεοῦ μου. Eph. c. 1: Μιμηταὶ ὄντες θεοῦ ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι θεοῦ. Nimirum his locis omnis Dei et Christi differentia adeo evanuit, ut Christi passiones ipsius Dei passiones esse credantur. Redolet igitur haec sententia Patripassianismum. Ac satis intelligitur qui factum sit, ut hic Patripassianismus multis primaevae ecclesiae doctoribus probaretur: sic enim divina Christi natura optime defendi potuit ab objectionibus eorum, qui nihil inter Christi et angelorum naturam discriminis esse statuerent.

At enim vero si Christus appellatur τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ θεοῦ, aliquo modo inter Christum et Deum distinguitur: Christus enim non ipsa est divina majestas, sed tamquam instrumentum, quo utitur illa[1]). Atque idem statuendum est de verbis ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς μεγαλ. αὐτ. In qua re distinguitur Christus ut videtur quum ab angelis, quos divina praestantia longe superat, tum ab ipso Deo, cujus est ἀπαύγασμα. Haec igitur si recte perpenderis, medium eum locum inter Deum et angelos obtinere credideris. Admodum igitur credibile est, Clementem pariter atque auctorem epistolae ad Hebraeos datae, θεολογούμενον illud quod de Verbo Divino tradebatur, in usum suum convertisse. Quod aliis quoque gravissimisque testimoniis confirmari potest.

Ac primum quidem Clementem notitiam habuisse scimus illius θεολογουμένου quod est de Sapientia Divina. In capite enim 57 locus Prov. I, 23—31 profertur. Ibi quum ipsa Sapientia loquatur, Clemens quoque eam loquentem inducit his verbis: Οὕτως γὰρ λέγει ἡ πανάρετος σοφία· ἰδού, προήσομ[αι ὑμῖ]ν ἐμῆς πνοῆς ῥῆσιν κτλ. Caveas, ne Eusebii et plerorumque interpretum auctoritatem temere secutus, ipsum Proverbiorum librum σοφίαν appellari credas. Sapientia hoc loco persona est, id quod tum ex ipsis quae citantur verbis tum vel maxime ex adjectivo πανάρετος intelligi licet[2]). Nullus autem dubito, quin illud πανάρετος explican-

[1]) Nomen illud τὸ σκῆπτρον fortasse petitum est ex clarissimo loco Num. XXIV, 17, cfr. etiam Clem. c. 32 τὰ δὲ λοιπὰ σκῆπτρα αὐτοῦ (i. e. reliquae Israelitarum tribus).

[2]) Quod Clemens Alexandrinus Στρ. II, 22, p. 501, nec non Hegesippus, Irenaeus, alii Eusebio teste (H. E. IV, 22) eadem voce usi sunt, non obstat sententiae nostrae. Quemadmodum enim aliis V. T. locis Spiritus Sanctus,

dum sit ex clarissimis illis verbis quae in libro Sapientiae VII, 22 sqq. reperiuntur: Ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ πνεῦμα νοερὸν, ἅγιον, μονογενὲς, πολυμερὲς, λεπτὸν, εὐκίνητον, τρανὸν, ἀμόλυντον, σαφὲς, ἀπήμαντον, φιλάγαθον, ὀξὺ, ἀκώλυτον, εὐεργετικὸν, φιλάνθρωπον, βέβαιον, ἀσφαλὲς, ἀμέριμνον, παντοδύναμον, πανεπίσκοπον, καὶ διὰ πάντων χωροῦν πνευμάτων νοερῶν καθαρῶν λεπτοτάτων. Non dico hunc ipsum locum Clementi ante oculos versatum esse; sed doctrina quae illo loco proponitur illi videtur nota fuisse. Quid quod ipso etiam Sapientiae libro, si quid video, usus est? Cfr. c. 27: Τίς ἐρεῖ αὐτῷ· τί ἐποιήσας; ἢ τίς ἀντιστήσεται τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ; cum Sap. XII, 12: Τίς γὰρ ἐρεῖ· τί ἐποίησας; ἢ τίς ἀντιστήσεται τῷ κρίματί σου; cfr. c. XI, 22: Τὸ γὰρ μεγάλως ἰσχύειν πάρεστί σοι πάντοτε, καὶ κράτει βραχίονός σου τίς ἀντιστήσεται; Utrumque locum Clemens in unum confudisse videtur.

Quae si cui placuerint, is jam ea verba respiciat, quae in eodem capite 27 proxime antecedunt: Ἐν λόγῳ τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ συνεστήσατο τὰ πάντα, καὶ ἐν λόγῳ δύναται αὐτὰ καταστρέψαι. Mirum certe est, quod verba τίς ἐρεῖ αὐτῷ κτλ. ex Sapientia Salomonis petita, ad hanc sententiam probandam addita sunt. Nemo enim dubitabit, quin ὁ λόγος τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ ad θεολογούμενον illud de Verbo Divino traditum referendus sit[1]). Jam vero in ipso Sapientiae libro leguntur haec: Θεὲ πατέρων καὶ κύριε τοῦ ἐλέους σου, ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ σου IX, 1. Quae quum ad verbum fere respondeant loco Clementino (notanda autem imprimis est ἐν praepositio): haud scio an credibile sit, quum librum qui inscribitur Sapientiae Salomonis, tum etiam una cum illo ipsam Alexandrinam theologiam illis temporibus excultam haud incognitam fuisse Clementi. Est autem Clementi cum posterioris aetatis Alexandrinis hoc commune, quod hic quoque nomen τῆς σοφίας paullo rarius, nomen τοῦ λόγου saepius adhibuisse videtur. Nam si locum illum ex Proverbiis petitum exceperis, nusquam apud Clementem Sapientiae mentio fit. Verbum autem Divinum non solum in capite 27, sed etiam duobus aliis

---

sic in Proverbiis Sapientia Divina locuta esse putabatur. Eandem vocem etiam ad Siracidae librum et Sapientiam Salomonis adhibitam esse videmus apud Origenem c. Cels. VI, 7; III, 72; V, 29. Clemens autem Romanus primus est, quem hac voce usum esse scimus.

[1]) Cfr. *Dorner,* Entwickelungsgeschichte, I, p. 142. *Hellwag,* l. c. p. 255.

locis commemoratur. Namque bis verba ex V. T. sumta formula φησὶν γὰρ ὁ ἅγιος λόγος afferuntur (c. 13. 56). Quae quid valeant nemo nescit, qui quomodo *Philo* V. T. locos afferre soleat meminerit.

Itaque nihil obstare videtur, quominus in iis locis, in quibus Christus ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης τοῦ ϑεοῦ et σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ ϑεοῦ appellatur, Alexandrinum illud ϑεολογούμενον ei ante oculos versatum esse statuamus. Concedo, si alia nulla in promptu essent testimonia, ex nominibus illis ἀπαύγ. τῆς μεγ. ϑ. et σκῆπτρ. τ. μ. ϑ. per se spectatis non satis demonstrari, Clementem Alexandrina illa theologia usum fuisse. Sed quum alia hujus rei testimonia suppetere intellexerimus, non est quod amplius infitiemur, etiam illa quorum mentionem injecimus nomina a λόγῳ Alexandrino ad ipsum Christum translata esse. Hoc enim nemo certe a se impetrabit, ut τὸν λόγον τῆς μεγαλωσύνης ϑεοῦ aliud quid significare opinetur atque τὸ σκῆπτρον vel τὸ ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης τοῦ ϑεοῦ.

Sed licet Christum τὸν λόγον ϑεοῦ esse Clementi persuasum sit, tamen nullus locus exstat, in quo praeclarum illud nomen diserte ad Christum transferatur. Quod numquam certe evenisset, si sententia illa qua Messias cum Verbo Divino unus idemque esse putabatur, jam inter Judaicos illius temporis theologos pervulgata fuisset.

Non hujus loci est, Judaeorum Christologiam accuratius perscrutari: hoc unum monuisse juvabit, neque apud Philonem Alexandrinosve quorum notitiam habemus theologos, neque apud Palaestinenses illius temporis scriptores Messiam et Verbum Dei unam personam esse putari. Imo inter Christianos demum exstiterunt, qui utrumque in unum conjungerent. Nam ne ab omnibus quidem priscae ecclesiae scriptoribus illud ϑεολογούμενον quod est de Verbo Divino ad Christum transfertur. Magna enim Christianorum pars ei potissimum doctrinae favebat, quae Christum ἀρχάγγελον fuisse tradebat; cujus rei documenta quum ex N. T., tum etiam ex Pastore Hermae, ex Ascensione Jesaiae, aliis libris depromuntur. Alii etiam aliter statuebant. Jam vero quod auctor epistolae ad Hebraeos datae, nec non Clemens Romanus Christum Dominum Verbum Dei esse censebant, ad hanc sententiam illi adducti sunt vel maxime ob id ipsum, quod divinam Christi naturam contra

eos defendere studebant, qui Christum ex angelorum numero fuisse profiterentur. Christum autem divinae non tantum dignitatis sed etiam naturae fuisse, uterque ut supra ostendimus censuit, eo tamen discrimine, ut haec sententia apud illum Christologiae tamquam fastigium, apud hunc Christologiae fundamentum sit.

Atque hinc demum intelligitur, Clementem Christum ἀπαύγ. τ. μ. ϑ. et σκῆπτ. τ. μ. ϑ. nuncupavisse non ut divinam ejus personam a Patris persona diligenter distinguendam curaret, sed vice versa, ut eum quam proxime cum ipso Patre conjungeret. Non igitur mirabimur, si eundem scriptorem modo Patripassianismum qui vocatur, modo duas divinas personas Deum et Verbum Dei docere videmus.

Utrumque enim docuit, quia quid inter utrumque discriminis sit, nondum perspexit; ii vero diversissimorum temporum sententias perperam confundunt, qui Clementem aut omnem inter Patrem et Filium personae distinctionem de industria tollere, aut vice versa inter duas divinas ὑποστάσεις consilio distinguere arbitrantur.

Tantum autem abest, ut Christologia Clementis omnibus numeris absoluta aut sibi conveniens sit, ut ne pristina quidem Judaeorum opinio qua Messias unus ex angelis esse putabatur, ab illo prorsus superari potuerit. Imo sub finem totius epistolae c. 58 leguntur haec: Ὁ παντεπόπτης ϑεὸς [καὶ] δεσπότης τῶν πνευμάτων καὶ κύριος [πά]σης σαρκὸς, ὁ ἐκλεξάμενος [τὸ]ν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ ἡμᾶς δι' αὐτοῦ εἰς λαὸν περιούσιον κτλ. Comparatio aliqua ut apparet inter Christum et homines instituitur: Deus autem duobus nominibus designatur, quia duplex electio quam Deus instituerit commemoratur. Verba igitur ita explicanda sunt: quemadmodum Deus Christum ex numero spirituum elegit, sic nos elegit ex numero hominum [1]). Quae quidem electio num ex mero Dei arbitrio, an ex praescientia quae vocatur divina pendeat perinde est; hoc autem satis apparet, Christum denuo inter spiritus Deo subjectos i. e. inter angelos numerari. Quod invito sane Clementi accidit; sed accidere nullo

[1]) Cfr. *Reuss,* Histoire de la théologie chrétienne II, 616. Eadem sententia sexcenties iterata est in libro *Henochi,* ubi Deus κατ' ἐξοχὴν nuncupatur Dominus spirituum, Christus autem ὁ ἐκλεκτός.

pacto potuisset, nisi opinio illa cum tota quae et inter Judaeos et inter Christianos de Messia tradebatur doctrina arctissime cohaesisset ac tamquam in unum corpus coaluisset. Sic autem effectum est, ut nova Christologia non nisi pedetentim in priscae sententiae locum succederet. Nec mirum id quidem. Nam apud *Philonem* quoque qui θεολογούμενον illud quod est de Verbo Divino vel maxime excoluit, haud pauci reperiuntur loci, in quibus angelologia quae vocatur Judaeorum cum novis philosophiae placitis concrevit. Angeli sunt λόγοι, Verbum autem Divinum appellatur ὁ ἀρχάγγελος vel ὁ πρεσβύτατος ἄγγελος[1]).

Quae quum ita sint, non est quod miremur, si eundem illum Clementem qui Christum cum ipso Deo arctissime conjungere studuit, aliis locis affirmare videmus Christum ut reliquas naturas Deo subjectum fuisse c. 42: Ἐξεπέμφθη ὁ Χριστὸς ἀπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ οἱ ἀπόστολοι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ· ἐγένοντο οὖν ἀμφότερα εὐτάκτως ἐκ θελήματος θεοῦ. Dixerit fortasse quispiam, hoc ad humanam Christi naturam spectare. Non prorsus infitior; sed caveamus oportet, ne posterioris ecclesiae de duplici Christi natura sententias ad priscorum Patrum verba explicanda temere adhibeamus.

Priscae enim ecclesiae scriptores quum de humana Christi natura loquuntur, carnem (τὴν σάρκα) ejus, i. e. σῶμα ἔμψυχον, animum et corpus (cfr. 1 Thess. V, 23) intelligunt; sublimiorem autem ejus essentiam appellant πνεῦμα. Quemadmodum igitur in hominibus σάρξ et πνεῦμα inter se distinguenda sunt, ita distinguatur necesse est inter humanum σχῆμα et sublimiorem vel coelestem Christi naturam Rom. I, 4. 1 Cor. XV, 45. Rom. IX, 5. Phil. II, 7. 8 cfr. Jo. I, 14. Hebr. II, 14 etc. — Barnab. 5. 7. 2 Clem. 9. Sic apud Clementem quoque Christus est filius Jacobi κατὰ σάρκα c. 32: Ἐξ αὐτοῦ ὁ κύριος Ἰησοῦς τὸ κατὰ σάρκα. Quum moreretur Christus, sanguinem pro nobis effudit, carnem pro nostra carne, animam pro nostra anima dedit c. 49: ... Τὸ αἷμα αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς . . . καὶ τὴν σάρκα ὑπὲρ τῆς σαρκὸς ἡμῶν[2]), καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῆς ψυχῆς ἡμῶν. Humanum

---

[1]) *Gfrörer*, Philo I, 270 sqq. *Dähne*, Jüd. alexandr. Religionsphil., I, 259. 438.

[2]) Sponte apparet, carnem h. l. strictissimo sensu dictam esse, ita ut sanguini opponeretur.

autem spiritum his verbis Christo tributum esse nemo demonstrabit. Imo contrarium elucet ex loco capitis 2 supra citato, ubi ipse Deus passus esse dicitur. Itaque ipsa Christi divina natura cum corpore et anima humana sic conjuncta esse creditur, ut ipse Deus vel divinus Christi spiritus doloribus ac morti obnoxius esse dicatur. Cfr. Ign. Rom. 6. Eph. 1.

Quod si cui Docetismum redolere videatur, concedendum quidem est, Docetarum placita ex ejusmodi sententiis facillime originem trahere potuisse. Sed antiquissimi ecclesiae scriptores quum hoc unum spectarent, ut divinam Christi naturam contra omnes dubitationes defenderent, de ratione quae inter Deum et hominem intercederet, omnino non subtilius disputaverunt. Fieri igitur nequit, ut eas quae apud hos scriptores de Deo patibili reperiuntur sententias cum haereticis eorum doctrinis confundamus, qui Christum perfectum hominem fuisse diserte negant. In contrarium autem errorem incidit *Gundert*[1]). Dicit enim hic de capitis 49 loco haec: « Αἷμα, σάρξ und ψυχή erscheinen hier als die die menschliche persönlichkeit überhaupt constituirenden theile, so dasz ψυχή auch das höhere lebensprincip, den νοῦς in sich befasst vgl. Joh. X, 17. . . . Der diesen worten zu grunde liegende gedanke besteht in dem kanon, welchen die kirchenlehrer gegen Apollinaris aufstellten: was von dem Herrn nicht angenommen ist, wird nicht geheilt. » Hanc quoque sententiam posteriorum temporum placita ad simplicissimam priscorum Patrum doctrinam explicandam perperam adhibere nemo non intelligit.

---

[1]) l. c. p. 465.

THESES.

I. Probum pro improbo poenas luere, non adversatur justitiae divinae.

II. Scientia rerum futuribilium quae vocatur in Deum non quadrat.

III. Justificatio hominibus certa est quamdiu et quatenus fides est certa et explorata.

IV. Fides quae Christum apprehendit et quae radix renovationis est, una eademque est.

V. Qui peccat, in eo quod peccat, Christum non apprehendit.

VI. Fideles quatenus peccant non sunt fideles.

VII. Felicitatis studium cum genuina virtute pugnat.

VIII. Peccatum originale a Paulo apostolo docetur.

IX. Epistolam ad Philippenses datam non esse genuinam demonstrari nequit.

X. Quae in epistola ad Colossenses data traduntur de persona Christi, ea in Judaicas quasdam quae de angelorum ordinibus ferebantur opiniones dicta sunt.

XI. Prima epistola ad Thessalonicenses data tota in eo versatur, ut Judaici errores ab ecclesia prohibeantur.

XII. Syriaca epistolarum Ignatianarum recensio genuina est.